His Coss. D.N. Rex Theodericus aquam Rauennam perduxit, cuius formam ſumptu proprio inſtaurauit, quae longis ante fuerat ad ſolum reducta tempo- (*ribus*
Cethaeus V C. cos
Hoc Cos. uirtute D.N. regis Theoderici uictis Bulgaribus Syrmium recepit Italia
Theodorus, & Sabinianus
Meſſalla, & Areobinda
Anaſtaſius Aug. III. & Venantius
Venantius Iunior, & Celer
His Coss. contra Francos a Domino noſtro deſtinatur exercitus, qui Gallias Francorum depraedatione confuſas, uictis hoſtibus ac fugatis ſuo adquiſiuit imperio
Importunus V C. cos
Boetius V C. cos
Felix, & Secundinu
Paullus, & Muſchianus
Probus, & Clementinus
Senator V C. cos
Me etiam Cos. in ueſtrorum laude temporum adunato clero uel populo Romanae eccleſiae redijt optata concordia
Florentinus, & Anthemius
His Coss. D.N. rex Theodericus filiam ſuam Dominã Amalaſuintam glorioſi uiri D.N. Eutharici matrimonio, deo auſpice, copulauit
Petrus V C. cos
Eo Anno D.N. Eutharicus Cillica mirabili gratia ſenatus & plebis ad edendum exceptus eſt feliciter conſulatum (Cos
D.N. Eutharicus Cillica, & Iuſtinus Auguſtus
Eo anno multa uidit Roma miracula editionibus ſingulis, ſtupente etiam Symmacho orientis legato diuitias Gothis Romaniſque donatas dignitates ceſſit in Curia: muneribus amphitheatralibus diuerſi generis feras, quas praeſens aetas pro nouitate miraretur, exhibuit. Cuius ſpectaculi uoluptates etiam exquiſitas Africa ſub deuotione tranſmiſit. Cunctis itaque eximia laude completis, tanto amore ciuibus Romanis inſederat, ut eius adhuc praeſentiã deſiderãtibus Rauennam ad glorioſi patris remearet aſpectus, ubi iteratis editionibus tanta Gothis Romaniſque dona largitus eſt, ut ſolus potuerit ſuperare quem Romae celebrauerat conſulatum
Igitur ut effuſam annorum ſeriem auctorum teſtificatione digeſtam, ſub breuitatis compendio redigamus
Ab Adam uſque ad diluuium, ſicut ex Chronicis Euſebij Hieronymi collegimus, anni ſunt ∞∞ CCXLII
A diluuio uſq; ad Ninum Aſſyriorum regem anni ſunt DCCCXCIX
A Nino uſque ad Latinũ regem anni ſunt DCCCLII
A Latino rege uſq; ad Romulũ anni ſunt CCCCLVII
A Romulo uſque ad Brutum & Tarquinium primos Conſules anni ſunt CCXL
A Bruto & Tarquinio uſq; ad conſulatum ueſtrum, ſicut ex Tito Liuio & Aufidio Baſſo, & Paſchali uirorum clarorum auctoritate firmato collegimus, anni ſunt ∞ XXXI
Ac ſi totus ordo ſaeculorũ uſque ad conſulatũ ueſtrum colligitur, anni ſunt V ∞ DCCXXI

M. AVRELII. CASSIODORI. CHRONICORVM FINIS

LECTORI

De Proſpero Aquitanico ſatis ſupra diſſerui. Quantum porro ad eius chronicum attinet, quod Hieronymi & Euſebii chronicis adiunxit, ipſe de ſe ita loquitur

PROSPERI. AQVITANICI

CHRONICON

HVCVSQVE Hieronymus presbyter ordinem praecedentium digeſsit annorum, nos quae ſecuta ſunt adijcere curauimus. Igitur Valente a Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano XLI. regnauit annis VI

Auſonio, & Olybrio Coss. Gratianus poſt mortem patrui; Theodoſij Theodoſium filium in conſortium aſſumit imperij, & ei regnum tradidit orientis. Theodoſius ſumma felicitate multis atque ingentibus proelijs, Gothos ſuperat, & è Thracia pellit. Longobardi ab extremis Germaniae finibus, Occeanique protinus littore, Scandiaque inſula magna multitudine egreſſi, & nouarum ſedium auidi, Iborea & Aione ducibus Vandaloa primum uicerunt. Sempronius uir apprime eruditus agnoſcitur. Ea tempeſtate Priſcianus Epiſcopus de Galatia ex Manichaeorum, & Gnoſticorum dogmate haereſim nominis ſui condidit

Gratiano V. & Theodoſio Coss. Pro catholica fide multa ſublimiter Ambroſius ſcribit. Theodoſiua cum Theſſalonicae aegrotaret, a Baſilio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo baptiſma ſuſcepit. Procurante Gratiano eo quod Theodoſius aegrotaret, pax firmatur cum Gothis. Synhodus patrum CLXXX. apud Conſtantinopolim celebrata eſt contra Macedonium ſpiritum ſanctum deum eſſe negantem

Euagrio, & Eleutherio Coss. Martinus Epiſcopus Turonorum Galliae ciuitatis, multis clarus habetur. Gregorius Nazianzenus uir ſua aetate eloquentiſsimus, & Hieronymi praeceptor obiit

Antonio, & Syagrio Coss. Athanaricus rex Gothorum, apud Conſtantinopolim XV. quo fuerat ſuſceptus die occiditur

Merobaude II. & Saturnino coss. Arcadius Theodoſij Imperatoris filius Auguſtus appellatur. Petronius Bononienſis Epiſcopus, uir ſtudijs & ſanctitate clarus moritur

Ricimere, & Clearcho Coss. Honorius Theodoſij filius naſcitur. Romanae eccleſiae poſt Damaſum Vrſinus XXXVI. praefuit. In Britannia per ſeditionem militum Maximus Imperator eſt factus, quo mox ad Gallias transferente ſe, Gratianus Pariſiis Merobaudis magiſtri militum proditione ſuperatus, & fugiens Lugduni captus atq; occiſus eſt. Maximus Victorem filium ſuum Caeſarem conſortem regni facit. Valentinianus cum Theodoſio XLII. Romanorum regnauit annis VII

Arcadio, & Bautone coss. Hoc tempore Hieronymus presbyter toto iam mundo clarus habitat in Bethleem, egregio ingenio, & ſtudio uniuerſali eccleſiae ſeruiens. Priſcillianus in ſynhodo Burdegalenſi ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit, auditusque Treuiris ab Euodio praefecto praetorio, à Maximo gladio addictus eſt cum Eucrocia Delphidij rhetoris coniuge, & Latroniano. alijsque erroris conſortibus

Honorio N. P. & Euodio coss. Burdegalae quaedam Priſcilliani diſcipula nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem uulgi lapidibus extincta eſt

Valentiniano III. & Eutropio coss.

Theodoſio II. & Cynegio coss. Maximus tyrannus a Valentiniano & Theodoſio Imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide ſpoliatus indumentis regijs, ſiſtitur, & capite damnatur, cuius filius Victor ab Arbogaſte interfectus in Gallijs

Timaſio & Promoto coss. Ithacius, & Vrſacius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cuius accuſatores fuerant, eccleſiae communione priuantur. Longobardi eorum ducibus defunctis, primum ſibi regem creauerunt Algelmundum Aionis filium, qui regnauit annis XXXIII

Valentiniano IIII. & Neoterio coss. Signum in coelo, quaſi columna pendens ardensque per dies XXX. apparuit. Theodoſius uenerabile Ioannis Baptiſtae caput ex uico Coslai Conſtantinopolim deportans, ſeptimo ab urbe lapide in baſilica, quam magno ſumptu in eius honorem erexerat, recondit

Titiano, & Symmacho coss. Eugenius fauore Arbogaſtis confiſus imperium ſibimet uſurpauit

Arcadio II. *& Rufino coss.* Valentinianus ad ultae faſtidium nimia Arbogaſtis magiſtri militum auſteritate ductus, laqueo apud Viennam perijt. Arbogaſtes magiſter exercitus mortuo Valentiniano, cuius exercitu grauabatur, Eugenium in Gallijs imperare facit. Theodoſius XLIII. Romanorum cum iam per XIIII. regnaret annos, regnat cum Arcadio & Honorio filijs annis III

Theodoſio III. *& Habundantio coss.* Honorium pater ſuus Theodoſius in eodem loco, quo fratrem eius Arcadium Caeſarem fecerat, principem conſtituit XVII. ab urbe miliario, cum hora tertia tenebrae factae ſunt

Arcadio III. *& Honorio* II. *coss.* Ioannes monachus anachoreta clarus habetur, qui ornatus prophetiae gratia Theodoſium conſulentem de euentu belli, quod aduerſus Eugenium mouebat, uictorem futurum praedixit

Olybrio, & Probino coss. Theodoſius Eugenium uincit, & perimit. Auguſtinus beati Ambroſij diſcipulus, multa facundia doctrinaque excellens, Hippone regio Africae epiſcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus poeta innotuit. Theodoſius imperator Mediolani moritur. Arcadius XLIIII. Romanorum cum iam regnaſſet annis XII. regnat cum fratre Honorio annos XIII

Arcadio IIII. *& Honorio coss*

Terraemotus per dies plurimos fuit, caelumque ardere uiſum eſt. Oroſius Hiſpanus preſbyter uir eloquens, & hiſtoriarum cognitor claret

Caeſario, & Attico coss,

Flaccilla nata eſt Arcadio filia. Euagrius incredibilis abſtinentiae monachus, & in ſacris literis eruditus, apud Aegyptios habetur inſignis

Mallio Theodoro cos. Cum hoc conſulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox honore, & vita exutus eſt

Honorio IIII. *& Eutychiano coss,* Anaſtaſius XXXVII. Romanae eccleſiae epiſcopatum tenet annos III. dies XXI

Stilicone, & Aureliano coss.

Gothi Italiam Halarico, & Rhadagaiſo ducibus ingreſſi

Vincentio, & Frauitta coss.

Ioannes Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus illuſtres epiſcopi habentur, ſed utrunque obſcurauit diſcordia, quae eouſque proceſſit, ut Ioannes a Theophilo oppreſſus pontum exilio pergere cogeretur, cum tamen communionem eius maxima pars eorum epiſcoporum Romani Pontificis exemplum ſecuta ſeruauerit

Arcadio V. & Honorio V. coss. aduerſus Gothos uehementer utriuſque potentiae partis clade pugnatum eſt. Innocentius XXXVIII. Romanae eccleſiae praeeſt epiſcopus annis XV. menſibus II. diebus XXI

Theodoſio Auguſto, & Rumorido coss. Endoxiae Arcadij uxoris ſtatua ſuper porphyreticam columnam poſita eſt

Honorio VI. & Ariſteneto coss. Eudoxia uxor Arcadii diem clauſit

Stilicone II. *& Anthemio coss.* Rhadagaiſus in Tuſcia multis Gothorum millibus caeſis ducente exercitum Stilicone ſuperatus, & captus eſt

Arcadio VI. & Probo coss. Vandali & Alani Gallias traiecto Rheno pridie Kal. Ianuarias ingreſſi

Honorio VII. & Theodoſio II. *coss.* Conſtantinus ex infima militia ob ſolam ſpeciem nominis in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias tranſit

Baſſo, & Philippo coss.

Arcadius imperator Conſtantinopoli moritur. Honorius cum Theodoſio fratris filio XLV. Romanorum regnauit annis XVI

*Honorio V*III. *& Theodoſio* III. *coss.* Vandali Hiſpanias occupanerunt. Attalus Romae imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis ceſſit

Flauio Varrone, & Tertullo coss.

Roma orbis quondam uictrix a Gothis Halarico duce capta, & ob hoc ſolus fuit orientalium partium conſul, quod in ſequenti anno obſeruatum eſt

Theodoſii Auguſti IIII. *conſulatu* Conſtantinus per Honorij duces Conſtantium, Vlfulam apud Arelatenſe oppidum uictus, & captus eſt, cuius filium Conſtantem in Hiſpania re-

gnare orſum, Gerontius comes in Maximum quemdam tyrannidem transferrens, interemerat

Honorio IX. & Theodoſio V. coss. Maximo in Hiſpania regno ablato uita eſt conceſſa, eo quod modeſtia humilitatis affectati imperij inuidiam non merebatur. Gothi rege Athaulpho Gallias ingreſſi. Eodem tempore Heros uir ſanctus, & beati Martini diſcipulus, cum Arelatenſi oppido epiſcopus praeſideret, a populo ipſius ciuitatis inſons, & nullis inſimulationibus noxius pulſus eſt, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantij magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quaerebatur, eaque res inter epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum cauſſa fuit

Luciano viro clariſſimo conſule Huius collega in conſulatu fuit Heraclianus qui nouarum in Africa rerum reus, & honorem amiſit & uitam. Burgundiones partem Galliae propinquantem Rheno obtinuerunt. Iouius, & Sebaſtianus fratres in Galliis regno accepto interempti. Hac tempeſtate Pelagius Brito dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti Caeleſtino, & Iuliano adiutoribus exeruit, multosque in ſuum trahit errorem, praedicans unumquemque ad iuſtitiam uoluntate propria regi, tantumque accipere gratiae quantum meruit: quia Adae peccatum ipſum ſolum laeſerit, nec poſteros eius obſtrinxerit. Vnde & uolentibus poſſibile ſit omni carere peccato, omnesque paruulos tam inſontes naſci, quam primus homo ante praeuaricationem fuit, & ideo baptizandos non ut peccato exuantur, ſed ſacramento adoptionis honorentur

Conſtantino vero conſule. Attalus Gothorum conſilio, & praeſidio tyrannidem reſumit in Gallijs

Honorio X. & Theodoſio VI. coss. Attalus a Gothis ad Hiſpanias migrantibus neglectus, & praeſidio carens capitur, & Conſtantio patricio uiuus offertur. Athaulphus a quodam ſuorum uulneratus interijt, regnumque eius Vuallia parentis, qui idem cupere intelligebatur, inuaſit

Theodoſio VII. & Palladio coss. Placidiam Theodoſii Imperatoris filiam, quam Romae Gothi caeperant, quamque Athaulphus coniugem habuerat, Vuallia pacem Honorij expetens reddidit, eiuſque nuptias Conſtantius promeretur. Zoſimus XXXIX. Romanae eccleſiae epiſcopatum ſuſcipit anno uno, menſibus IX, diebus VIII. Quo tempore Pelagius iam a pontifice Innocentio praedamnatus, ei Afrorum uigore, & maxime Auguſtini epiſcopi ſcientia reſiſtebatur

Honorio XI. & Conſtantio II. coss. Honorius triumphans Romam ingreditur, praeeunte currum eius Attalo, quem Lyparae uiuere exulem iuſſit

Honorio XII. & Theodoſio VIII. coss. Hoc tempore Conſtantius ſeruus Chriſti ex uicario Romae habitans, & pro gratia dei Pelagianis reſiſtens factione eorundem multa pertulit, quae illum ſanctis confeſſoribus ſociauerunt. Concilio apud Carthaginem habito CCXVII. epiſcoporum, ad pontificem Zoſimum ſynhodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum haereſis Pelagiana damnata eſt. Valentinianus Conſtantij, & Placidiae filius, naſcitur ſexto Nonas Iulias. Bonifacius XL. Romae epiſcopatum tenet annis III. menſibus IX

Maximo, & Plinta coss. Conſtantius pacem firmat cum Vuallia, data ei ad habitãdum Aquitania, & quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum

Theodoſio VIII. & Conſtantio III. coss. Conſtantius ab Honorio in conſortium regni aſſumitur. Hieronymus presbyter moritur anno aetatis ſuae XCI pridie Kalendas Octobris

Agricola, & Euſtathio coss. Conſtantius imperator moritur.

Honorio XIII. & Theodoſio X. coss. Hoc tempore exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos miſſus eſt, cuius Caſtinus dux fuit, qui Bonifacium uirum bellicis artibus praeclarum inepto, & iniurioſo imperio ab expeditionis ſuae ſocietate auertit: nam ille periculoſum ſibi atque indignum ratus ſequi quem diſcordem ſuperbientemque expertus eſſet, celeriter ſe ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit, idque reipublicae multorum laborum initium fuit

Mariniano, & Aſclepiodoto coss. Placidia Auguſta a fratre Honorio pulſa, ad orientem cũ Honorio, & Valentiniano filijs proficiſcitur. Caeleſtinus XLI. Romanae eccleſiae praeſidet epiſcopus annis IX. Longobardorum II. regnauit Lamiſſus meretricis filius annis III. Honorius moritur, & regnum eius Ioannes occupat conniuente ut putatur Caſtino, qui exercitui magiſter militum praefuit. Theodoſius XLVI. Romanorum regnauit an. XXX

Caſtino, & Victore coss. Theodoſius Valentinianum amitae ſuae filium Caeſarem facit, & cum Auguſta matre ſua ad recipiendũ occidentale mittit imperium: quo tempore Ioannes dum Africam quam Bonifacius obtinebat bello repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt

Theodoſio XI. & Valentiniano coss. Placidia Auguſta, & Valentinianus Caeſar mira

felicitate Ioannem tyrannum opprimunt, & regnum uictores recipiunt data venia Aetio, quod Hunni, quos per ipſum Ioannes acciuerat, eiuſdem ſtudio ad propria reuerſi ſunt. Caſtinus autem in exilium actus eſt, quia uidebatur Ioannem ſine comitiua regnum non potuiſſe aſſumere. Valentinianus decreto Theodoſii Auguſtus appellatur. Archillas nobile oppidum Galliarum a Gothis multa ui oppugnatum eſt, donec imminente Aetio non impuniti diſcederent

Theodoſio XII. & Valentiniano II. coss. Patroclus Arelatenſis epiſcopus a tribuno quodam barbaro multis uulneribus laniatus occiditur, quod facinus ad occultam iuſſionem Felicis magiſtri militum referebatur, cuius impulſu traditur etiam Titus diaconus uir ſanctus Romae pecunias pauperibus diſtribuens, interfectus

Hierio, & Ardaburecoss. Bonifacio, cuius potentia gloriaque in Africa augebatur, bellum ad arbitrium Felicis qui ad Italiam uenire annuerat, publico nomine illatum eſt, ducibus Mauortio, & Galbione, & Sinoce; cuius proditione Mauortius, & Galbio cum Bonifacium obſiderent, interempti ſunt: moxque ipſe a Bonifacio dolo detectus occiſus eſt. Exinde gentes quae uti nauibus neſciebant, dum a concertantibus in auxilium uocantur, mare peruium factum eſt, bellique contra Bonifacium coepti in Sigiſuultum comitem cura tranſlata eſt. Gens Vandalorum ab Hiſpanijs ad Africam tranſijt

Felice, & Tauro coss. Neſtorius Conſtantinopolitanus epiſcopus nouum eccleſijs molitur errorem inducere, praedicans Chriſtum ex Maria hominem tantum, & non deum natum, eique diuinitatem collatam eſſe pro merito. Huic impietati praecipua Cyrilli Alexandrini epiſcopi induſtria, & papae Caeleſtini repugnat auctoritas. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupauerant, Aetij comitis armis recepta

Florentio, & Dionyſio coss. Felice ad patriciam dignitatem prouecto, Aetius magiſter militum factus eſt ex agricola. Pelagianus Seneriani Pelagiani epiſcopi filius, eccleſias Hiberniae dogmatis ſui inſimulatione corrupit, ſed actione Palladij diaconi papa Caeleſtinus Germanum Antſiodorenſem epiſcopum uice ſua mittit, ut deturbatis haereticis Britannos ad catholicam fidem dirigat

Theodoſio XIII. & Valentiniano III. coss. Aetius Felicem cum vxore ſua Paduſia, Egrumitium diaconum eos inſidiari cum praeſenſiſſet, interemit. Auguſtinus epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur V. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obſidentium Vandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſe in defenſione Chriſtianae gratiae perſeuerans

Baſſo, & Antiocho coss. Congregata apud Epheſum plus ducentorum ſynhodo ſacerdotum, Neſtorius cum haereſi nominis ſui, & cum multis Pelagianis qui cognatum ſibi dogma iuuabant damnatur. Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur a papa Caeleſtino Palladius, & primus epiſcopus mittitur

Aetio, & Valerio coss. Romanae eccleſiae XLII. praeficitur epiſcopus Sixtus. Totius orbis pace, & confeſſione mirabili Bonifacius ab Africa ad Italiam peruenit in Vrbem, accepta magiſtri militum dignitate, qui cum ſibi reſiſtentem Aetium proelio ſuperaſſet, paucos poſt dies morbo extinctus eſt. Aetius uero cum depoſita poteſtate in agro ſuo degeret, ibique cum quidam inimicus eius repentino eum incurſu opprimere tentaſſet, profugus ad urbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannoniam ad Hunnos peruenit, quorum amicitia auxilioque uſus pacem principum Aetius interpellatae poteſtatis obtinuit

Theodoſio XIIII. & Maximo coss. Maxima urbis regiae pars Septentrionalis per tres dies continuo incenſa collapſaque eſt menſe Auguſto: Ioannes monachus cognomento Caſſianus Maſſiliae inſignis & facundus ſcriptor habetur

Aſpare, & Areobinda coss

Theodoſio XV. & Valentiniano IIII. coss. Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per triennium in loco Africae portione Hippone III. Idus Februarij. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aetius bello obtriuit, pacemque ei ſupplicanti dedit, qua non diu potitus eſt. Siquidem illum Hunni cum populo ſuo atque ſtirpe deleuerunt

Iſidoro, & Senatore coss. Gothi pacis placita perturbant, & pleraque municipia ſedibus uicina ſuis occupant. Narbonenſi oppido maxime infeſti, quod cum diu obſidione, & fame laboraret, per Littorium comitem ab utroque periculo liberatus eſt. Siquidem per ſingulos equites binis tritici modijs aduectis ſtrenuiſſime, & hoſtes in fugam uertit, & ciuitatem annona impleuit

Aetio II. & Sigiſmulto coss. Bellum aduerſus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. Geiſericus rex Vandalorum intra habitationis ſuae limites uolens catholicam fidem Arriana impietate ſubuertere, quoſdam noſtrorum epiſcoporum eatenus perſecutus eſt, ut eos priuato iure baſilicarum ſuarum etiam ciuitatibus pelleret, cum ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi regis terroribus cederet. Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium principem Conſtantinopolim proficiſcitur, filiamque eius in matrimonium accipit. Eodem anno piraticam barbarorum fœderatorum deſertores exercuerunt. Per idem tempus quattuor Hiſpani uiri Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius dudum apud Geiſericum merito ſapientiae, & fidelis obſequij clari habebantur, quos rex ut copulatiores ſibi faceret in Arrianam ſectam tranſire praecepit. Ac illi facinus conſtantiſſime reſpuentes, excitato in rapidiſſimam iram barbaro, primum proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis cruciati ſupplicijs, ad poſtremum diuerſis mortibus interempti illuſtri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine frater Paſchaſij, & Eutychij, pro elegantia formae atque ingenij admodum regi acceptus, a profeſſione atque amore catholicae fidei cum nullis minis deturbari poſſet, diu fuſtibus caeſus ad infamem ſeruitutem damnatus eſt, nec ideo ut apparet interſectus, ne ſuperata ſaeuitia impij regis etiam illa aetas gloriaretur

Theodoſio XVI. & Fauſto coss. Hoc quoque anno ijdem piratae multas inſulas, ſed praecipue Siciliam uaſtauere. Aduerſum Gothos in Gallia quaedam proſpere geſta

Theodoſio XVII. & Feſto coss. Littorius qui ſecundae ab Aetio patricio poteſtati Hunnis auxiliantibus praeerat, dum Aetij gloriam ſuperare appetit, dumque haruſpicum reſponſis, & daemonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit, fecitque intelligi quantum illa eorum quae perijt maous prodeſſe potuerit, ſi potioribus conſilijs quam ſua temeritate uti maluiſſet, quando tantam ipſe hoſtibus cladem intulit, ut niſi inconſideranter proelias captiuitatem incidiſſet, dubitandum foret cui potius parti uictoria aſcriberetur. Hac tempeſtate Iulianus Athelenenſis iactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpem praeferens, molitus in communionem eccleſiae irrepere. Sed his inſidijs Sixtus papa diaconi Leonis hortatu uigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit, & ita omnes catholicos defectione fallacis beſtiae gaudere fecit, quaſi tunc primum ſuperbiſſimam haereſim apoſtolicus gladius detruncaſſet. Per idem tempus Vitricus reipublicae noſtrae fidelis multis documentis bellicis clarus habetur. Pax cum Gothis facta, cum eam poſt ancipitis pugnae lacrymabile experimentum humilius quam unquam ante popoſciſſent. Aetio rebus quae in Gallijs componebantur inteoto, Geiſericus de cuius amicitia oihil metuebatur XIIII. Kal. Nouembris Carthaginem dolo pacis inuadit, omoesque opes eius excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus, in ius ſuum uertit. Nec ab eccleſiarum deſpoliatione abſtinens, quas & ſacris uaſibus exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione priuatas, non iam diuini cultus loco, ſed ſuorum iuſſit eſſe habitacula. In uniuerſum captiui populi ordinem ſaeuus, ſed praecipue nobilitati, & religioni inſenſus, ut non diſcerneretur hominibus magis an deo bellum intuliſſet. Carthago a Vandalis capta, aono poſtquam Romana eſſe coeperat DXXCV. alias DXXCIII

Valentiniano V Auguſto, & Anatholio coss. Deſuncto Sixto epiſcopo, XL. amplius diebus Romana eccleſia ſine antiſtite fuit, mirabili pace atque patientia aduentum diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aetium & Albinum amicitiae redintegraodae Galliae detinebant, quaſi ideo longus eſſet aduentus, ut electi meritum & eligentium iudicium probaretur. Igitur LEO diaconus legatione publica accitus & gaudenti patriae praeſentatus, XLIII. Romanae eccleſiae epiſcopus ordinatur. Geiſericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuntio de Sebaſtiano ab Hiſpania ad Africam tranſeunte celeriter Carthaginem redijt, ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore ſi uir bellandi peritus recipiendae Carthagini incubuiſſet. Verum ille amicum ſe magis quam hoſtem uideri uolens diuerſa omnia apud barbaros quam praeſumpſerat reperit, eaque ſpes cauſſa illi maxima & calamitatis, & infelicis mortis fuit

Cyro conſule. Theodoſius Imperator bellum contra Vandalos mouet, Areobioda, & Anaxilla atque Germano ducibus cum magna claſſe directis, qui longis cunctatiooibus negocium differentes, Siciliae magis oneri quam Africae praeſidio fuerunt

Dioſcoro, & Eudoxio coss. Hunnis Thraciam, & Illyricum ſaeua depopulatione uaſtantibus exercitus qui in Sicilia morabatur ad defenſionem orientalium partium reuertitur. Cum Geiſerico autem ab Auguſto Valentiniano pax confirmata, & certis ſpacijs Africa inter utrunque diuiſa eſt. In Geiſericum apud ſuos de ſucceſſu rerum ſuperbientem quidam optimates ipſius conſpirauerunt, ſed molitione detecta, multis ab eo ſupplicijs excruciati atque extincti ſunt. Cumque idem audendum etiam alijs uideretur, multis regis ſuſpicio exitio fuit, ut hac ſui cu-

ra plus uirium perderet,quam ſi bello ſuperaretur

Maximo II. & Paterno coss. Hoc tempore plurimos Manichaeos intra urbem latere diligentiae papae Leonis innotuit, qui eos de ſecretis ſuis erutos, & oculis totius eccleſiae publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudines & damnare fecit & prodere, incenſis eorum codicibus, quorum magnae moles fuerant interceptae. Quae cura uiro ſancto diuinitus, ut apparuit, inſpirata, non ſolum Romanae urbi, ſed etiam uniuerſo orbi plurimum profuit. Siquidem confeſſionibus in urbe captorum, qui doctores eorum, qui epiſcopi, quiue presbyteri, in quibus prouincijs uel ciuitatibus degerent, pateſactum eſt. Multique orientalium partium ſacerdotes induſtriam apoſtolici rectoris imitati ſunt

Theodoſio XVIII. & Albino conss. Attila rex Hunnorum Bledam fratrem & conſortem ſuum perimit, eiusque populos ſibi parere compellit

Valentiniano VI. & Nonio coss

PROSPERI. AQVITANICI. FNIS

LECTORI

DE HOC incerto Faſtorum conſularium auctore, quem Ioannes Cuſpinianus ſuo in Caſsiodorum commentario integrum incluſit, ſupra ſatis diſputaui. Ipſum quoque hoc loco ſuggerere placuit, quandoquidem eiuſdem etiam ope in meis Faſtis conſtituendis mirum in modum ſubleuatus ſim, & praeſertim in imperio occidentali poſt Placidium Valentinianum imperatorem digerendo: in quo concinnando nullos proculdubio habui huic ſimiles ſcriptores: qui ita accurate, annorum & dierum ratione obſeruata, ſingula deſcribit, ita vt nihil diligentius a breuiſsimi chronici auctore exarari poſſe exiſtimauerim. Initium autem ſcribendi a caede Valentiniani Imp. facit ſic

INCERTI. SCRIPTORIS. CHRONICON

Valentiniano VIII. & Anthemio coss. Poſt interitum Valentiniani Imperatoris, leuatus eſt Maximus Imperator XVI. Kal. Aprilis, & occiſus eſt pridie Idus Iunias. Et intrauit Genſericus Romam, & praedauit eam dies XIIII. Et leuatus eſt Imperator in Gallijs Auitus VI. Idus Iulias; & euerſa eſt Sabaria a terraemotu VII. Idus Septembris, die Veneris

Ioanne, & Varrone conss. Occiſus eſt Remiſcus patricius in Palatio claſſis. XV. Kal. Octobris, captus eſt Imp. Auitus Placentiae a magiſtro militum Ricimere, & occiſus eſt Meſſianus patricius eius XVI. Kal. Iunias

Conſtantino, & Ruſo conss. Ricimer magiſter militum patricius factus eſt Pridie Kal. Martias, & factus eſt Maiorianus magiſter militum ipſo die. Leuatus eſt Imp. Maiorianus Kalendis Aprilis milliario VI. in campo ad Columellas

Leone, & Maioriano conss

Ricimere, & Patricio conss

Magno, & Apollonio conss

Seuerino, & Dagalaipho conss. Depoſitus eſt Imp. Maiorianus a patricio Ricimere Dertonae IIII. Nonas Auguſti, & occiſus eſt ad fluuium Hyram VII. Idus Auguſti: ac leuatus eſt Imperator dominus Seuerus XIII. Kal. Decembris

Leone II. & Seuero conss

Baſilio, & Viuiano conss

Ruſticio, & Olybrio conss. Occiſus eſt Beorgor rex Alanorũ Bergomi ad pedẽ montis VIII. Id. (Februarias

Herminerico, & Baſiliſco Conss. Defunctus eſt imperator Seuerus Romae XVIII. Kal. Septẽbris

Leone III. & Tatiano Conss

Puſaeo, & Ioanne Conss. Leuatus eſt imperator dominus Anthemius Romae prid. Idus Aprilis

Domino Anthemio Auguſto II. Cos. Occiſus eſt Marcellinus in Sicilia menſe Auguſto

Marciano, & Zenone Conss

Seuero, & Iordane Conſs

Leone Auguſto IIII. & Probiano Conſs

Feſto, & Marciano Conſs. Bellum ciuile geſtum eſt Romae inter Anthemium imperatorem, & Ricimerem patricium. Et leuatus eſt Romae Imperator Olybrius; occiſus uero Imp. Anthemius V. Idus Iulias. Defunctus uero eſt Ricimer XV. Kal. Septembris. Quo anno Gundibalus patricius factus eſt ab Olybrio imperatore. Defunctus uero eſt imp. Olybrius Romae X. Kal. Nouembris

Leone Auguſto V. Cons. Leuatus eſt imperator Glicerius Rauennae III. Nonas Martias

Domino Leone Iuniore Auguſto Cons. Deiectus de imperio Glicerius in portu vrbis Romae. Eo anno leuatus eſt dominus Iulius Nepos VIII. Kal Iulias

Zenone conſule. Intrauit Rauennam patricius Oreſtes cum exercitu, & fugauit imperatorem Nepotem ad Dalmatias V. Kal. Septembris. Eo anno leuatus eſt Auguſtulus imperator Rauennae a patricio Oreſte patre ſuo pridie Kal. Nouembris

Baſiliſco II. & Armato Conſs. Leuatus eſt Odoacer rex X. Kal. Septembris. Eo etiam anno occiſus eſt Oreſtes patricius Placentiae V. Kal. Septembr. Item eo anno occiſus eſt Paullus frater eius in Rauenna prid. Nonas Septembris

P. C. Baſiliſci, & Armati. Occiſus eſt Brauila a rege Odoacre V. Idus Iulias Rauennae

Hello. V. C. Cons

Zenone Aug. II. Cons ſolo

Baſilio V. C. Cons. Occiditur Nepos Imperator VII. Idus Maias

Placido. V. C. Cons

Seuerino. V. C. Cons

Fauſto V. C. Cons

D. N. Theoderico rege, & Venantio V. C. conſs

Symmacho V. C. conſule

Decio V. C. conſule

Boetio V. C. unico conſule Pugna facta eſt inter Odoacrem regem, & Febanum regem Rugorum, & uicit Odoacer, & adduxit captiuum Febanum regem ſub XVII. Kal. Decembris

Dinamio & Siſidio conſs. Arſit pons Apollinaris noctu in paſcha XV. Kal. Maii

Probino & Euſebio conſs

Fauſtus Fauſtus NN. His conſs. ingreſſus eſt rex Theodericus in foſſato pontis Sontii V. Kal. Septembris, et fugit Odoacer rex de foſſato, & abijt Veronam. Eo anno ingreſſus eſt Odoacer rex in foſſatum, Herulis in pineta exiſtentibus. Et occiſus eſt Libilla magiſter militum, & caeciderunt plurimi ab utraque parte, & clauſit ſe Rauennam Odoacer rex VI. Idus Iulias. Et regreſſus eſt rex Theodericus in Ticino XI. Kal. Septembris

Olybrio V. C. conſule

Anaſtaſio principe Auguſto, & Ruſo Conſs. Terraemotus factus noctu ante gallorum cantus VII. (Idus Iunij

Albino V. C. Cons. Regreſſus eſt rex Theodericus ad Rauennam, & uenit ad foſſatum Palatioli IIII. Kal. Septembris. Hoc conſule quoque facta eſt pax inter Theodericum regem & Odoacrem III. Kal. Martias. Et ingreſſus eſt Rauennam rex Theodericus III. Nonas Martias, & occiſus eſt Odoacer rex a rege Theoderico in Palatio cum commilitonibus ſuis

Aſterio, & Praeſidio conſs
Viatore. V. C. Cons. ſolo
Paullo. V. C. Cons. ſolo
D. N. Anaſtaſio Aug. Cons. ſolo
Paullino, & Ioanne Conſs
Ioanne V. C. cons. ſolo
Patricio, & Hypatio conſs
Auieno, & Pompeio conſs
Auieno iuniore, & Probo conſs
Cethego. V. C. cons. ſolo
Theodoro, & Sabiniano conſs
Meſſalla, & Areobinda conſs
D. N. Anaſtaſio Aug. III. & Venantio conſs
Venantio Iuniore, & Celere conſs
Importuno V. C. conſule ſolo
Boetio V. C. cons. ſolo
Felice, & Secundino conſs
Paullo, & Muſchiano conſs
Probo, & Clementino conſs
Senatore V. C. cons. ſolo
Florentio, & Anthemio conſs
Petro V. C. cons. ſolo
Anaſtaſio, & Agapito conſs
Magno V. C. Cons. ſolo
Eutharico Cillica, & Iuſtino Aug. conſs
Ruſtico, & Vitalliano conſs
Valerio, & Iuſtiniano conſs
Symmacho, & Boetio conſs
Maximo V. C. cons. ſolo
Opilione, & Iuſtino Aug. II. conſs
Probo, & Philoxeno conſs
Olybrio V. C. cons. ſolo Hoc conſule D. N Theodericus rex mortuus eſt menſe Septembri

FINIS

ONVPHRIVS. PANVINIVS VERONENSIS. FRATER. EREMITA AVGVSTINIANVS

LECTORI. S

DE MARCELLINO uero Comite, quem librum integrum etiam ſuo in Caſiodorum cõmentario incluſit Ioannes Cuſpinianus, pauca habeo quae dicam, quum ſatis ſupra de eo mentionem fecerim. Hic Antonij Sconhouij uiri eruditiſsimi, & antiquitatis Romanae peritiſsimi opera paulo ante ſeorſum iterum excuſus eſt quem ego hoc loco cum ceteris Faſtorum auctoribus longe emendatiorem, & locupletiorem tertio in hiſtoriae Romanae ſtudioſorum gratiam publicare curaui. De quo quid Cuſpinianus, qui primus omnium eum inuenit, ſcripſerit ſubiicere placet. Marcellinus quidam (inquit) poſt Valentis mortem tempora pulcherrime per conſulatus, & indictiones produxit, opere quidẽ breui, ſed pulcherrimo; cuius copiam mihi fecit Ioannes Gremperus amanuenſis meus, & quem deinceps uſque ad finem operis ſemper citabo circa ſingulos conſulatus. Orditur autem praefatus auctor opuſculum ſuum ita: Poſt &c. Appellauit autem Marcellinus opuſculum ſuum deflorata; mos enim eſt orientalium, ut breuem, & publica fide tranſumptam narrationem, uocent deflorationem. Huius Marcellini meminit Caſiodorus in primo libro introductorii in ſacras litteras cap. XVII. ubi Chriſtianos hiſtoricos recenſet in haec uerba: Marcellinus etiam quattuor libros de temporum qualitatibus, & poſitionibus locorum pulcherrima proprietate conficiens, itineris ſui tramitem laudabiliter percurrit, quem uobis pariter dereliqui. Et paulo poſt: Euſebium ſubſequutus eſt ſupraſcriptus Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricii Iuſtiniani fertur egiſſe cancellos. Sed meliori conditione deuotus, a tempore principis, uſque ad fores imperii Iuſtiniani opus ſuum domino adiuuante perduxit, ut qui ante fuit in obſequio gratus, poſtea ipſius imperio copioſe amantiſsimus appareret, & cet. Sed ut ad propoſitum reuertamur, praefationem Marcellini ideo ſubſcripſi, ut lectores diligenter disquirant, ne auctor ille ſicubi latet, intereat; unicum habui deprauatum & lacerum exemplar, multisque in locis feneſtratum. Ita Cuſpinianus. Suggerit Sconhouius: Quis autem hic Marcellinus fuerit nondum mihi comperire licuit, nõ videtur idem fuiſſe, cui Ammianus praenomen eſt, qui vno & triginta libris a principatu Caeſaris Neruae vſque ad obitum Valentis, tam orientis quam occidentis res geſtas a Romanis, deſcripſit. Nam aetate ducentis paene annis diſtare videntur, ſiquidem Ammianus ſub Valente, noſter vero ſub Iuſtiniano imperatore vixit. Ceterum hic ſe initio operis clariſsimum fuiſſe teſtatur, Comitis (ut opinor) no-

mine

mine, fuerunt enim Comites omnes ferè clariſsimi habiti Iuſtiniani aetate. Itaque adiectus (ut apparet) huic fuit Marcellino, dignitatis atque officii titulus,ut eo a Marcellino Ammiano diſtingueretur. Proſequitur autem is auctor Euſebii, diuique Hieronymi chronicon, quod licet faciat & Proſper Aquitanicus eo paulo antiquior,tamen multo plura, praeſertim rerum orientalium, iſte habet: ut hac in parte illi longe praeferendus ſit. Nec poſthac magna parte operis utriuſq; Palmerij,aut Hermani Contracti (qui Proſpero continentem hiſtoriam annexuerunt) opus erit, cui Marcellinus noſter erit. Multa ſunt in eo quae ab alijs chronographis diſcrepant, ſed ea maluimus doctorum virorum iudicio relinquere, quam noſtro temere cenſere

MARCELLINI . COMITIS . V . C
CHRONICON

*POST mirandum opus,quod a mundi fabrica vſque in Conſtantinum principem Euſebius Caeſarienſis, huius ſaeculi originem, tempora, annos, regna, uirtutesque mortalium, & uariarum artium repertores,omniumque paene prouinciarum monumenta commemorās,Graeco edidit ſtylo,noſterque Hieronymus trāſtulit in Latinum., & uſque in Valentem Caeſarem Romano adiecit eloquio * .Igitur vterq; huius operis auctor V ∞ DLXXXVIII annorū hunc mundum tunc fore miro cōputauit ingenio.Ego uero uir clariſsimus Marcellinus Comes, ſimplici duntaxat computatione orientale tantum ſequutus imperium, per indictiones,perque conſules infra ſcriptos, centum & XL.annos, a ſeptima uidelicet indictione,& a conſulatu Auſonij & Olybrij (quibus etiam Coss. Theodoſius Magnus creatus eſt Imperator) enumerans, & vſque in conſulatum Magni Auſonis, id eſt, indictionis undecimae colligens; eorumdem auctorum operi ſubrogaui;itemque alios XVII.annos, a conſulatu Iuſtini Auguſti; primo uſque in conſulatum Iuſtiniani Auguſti IIII. ſuffeci. Hi ſunt ſimul anni CLVI. meoque ruſtico operi ſuppoſui*

Indictione vij. Auſonio, & Olybrio coss

Theodoſius Hiſpanus Italicae diui Traiani ciuitatis, à Gratiano Auguſto apud Syrmium XXXVIII. poſt Valentis interitum imperator creatus eſt. XIIII. K.Februari, orientalem duntaxat Remp. recturus; uir admodum religioſus & Catholicae eccleſiae propagator, omnibusque orientalibus principibus praeponendus, * niſi quod Marcianum tertium poſt ſe principem imitatorem habuerit, & duos reliquerit filios. Alanos, Hunnos,Gothos,Getas,Scythas magnis multisque proelijs uicit

Indictione viij.Gratiano Aug.V.& Theodoſio Aug.I.coss

Gregorius Nazianzenus facundiſsimus Chriſti ſacerdos,& Hieronymi noſtri praeceptor,eccleſia noſtra apud Byzantium capta ab Arrianis, plebem Catholicam in beatae Anaſtaſiae oratorio catholica quotidie allocutione continuit, ſaepe namque prauorum conuitijs inſectatus eſt, ſed Chriſti gratia praeditus uſque ad id tempus, quo eadem eccleſia ſui praeſentia noſtris eſt reddita,perfidis obſtitit Arrianis. Nam his Coss. Theodoſius Magnus poſtquam de Scythicis gentibus triumphauit, expulſis continuo ab Orthodoxorum eccleſia Arrianis, qui eam ferè per XL. annos ſub Arrianis Imperatoribus tenuerant, noſtris Catholicis Orthodoxis reſtituit Imperator menſe Decembrio

Indictione ix. Eucherio, & Syagrio,alias Euagrio coss

Sanctis CL. patribus urbe Auguſta congregatis aduerſus Macedonium in ſpiritum ſanctum naufragantem, ab ijſdem epiſcopis ſancta ſynhodus confirmata eſt, Damaſo ſcilicet ſedem beati Petri tenente. Conſtantinopoli uero per Timotheum Alexandrinum, perque Meletium.

Antiochenum

Antiochenum,& Cyrillum Hieroſolymitanum epiſcopos, Nectario ex pagano protinus baptizato, & in praefata ſynhodo pontifice ordinato. Athanaricus rex Gothorum cum quo Theodoſius Imp. foedus pepigerat mẽſe Ianuario uenit Conſtantinopolim,eodemq; menſe morbo perijt

Indictione x. Antonio, & Syagrio Coss

Diui Valentiniani Magni cadauer Theodoſius princeps ab Italia reportatum, apud comitatum regio in ſepulchro recondidit. Eodem anno uniuerſa gens Gothorum Athanarico rege ſuo deſuncto, Romano ſeſe imperio dedit. Menſe Octobri Damaſus Romanae eccleſiae (exceptis Liberio & Felice) XXXV. epiſcopus,anno pontificatus ſui XVIII. in domino requieuit

Indictione xi. Merobaude II. & Saturnino Coss

Romanae eccleſiae Siricius XXXVI. antiſtes ſactus, uixit annos XV. Arcadius a patre ſuo Theodoſio Aug. conſors imperij ſeptimo ab urbe milliario coronatus eſt. Gratianus imp. Maximi tyranni dolo apud Lugdunum occiſus eſt viij. Kal. Septembris

Indictione xij. Ricimere, & Clearcho Coss

Legati Perſarum Conſtantinopolim aduenerunt pacem à Theodoſio principe poſtulantes. Et eodem tempore Honorius alter Theodoſio natus eſt filius menſe Septembri

Indictione xiij. Arcadio, & Bautone Coss

Theodoſius imp. aliquantas ſaeuas nationes per legatos ſuos inuitè imperio ſubdidit

Indictione xiiij. Honorio, & Euodio Coss

Inuaſam princeps Theodoſius ab hoſtibus Thraciam uindicauit, uictorque cum Arcadio filio ſuo urbem ingreſſus eſt. Galla Theodoſij regis altera uxor his coss. Conſtantinopolim uenit

Indictione XV. Valentiniano III. & Eutropio Coss

Arcadius Caeſar cum patre ſuo Theodoſio ſua quinquennalia celebrauit. Theodoſius in Italiam contra Maximum tyrannum pugnaturus acceſſit

Indictione I. Theodoſio Aug. II. & Cynegio Coss

Valentinianus Gratiani frater & Theodoſius impp. Maximum tyrannum,& Victorem filium eius apud Aquileiam rebellantem uicerunt. Andragatius Comes morte Maximi cognita praecipitem ſeſe è naui in undas dedit ac ſuffocatus eſt

Indictione ij. Timaſio, & Promoto Coss

Theodoſius imp. cum Honorio filio ſuo Romam menſe Iunio introiuit. Congiarium Rom. pop. tribuit, urbeque egreſſus eſt Kal. Septembris. Per idem tempus grando crepitans per biduum continuum pro pluuia cecidit,pecorum arborumque pernicies. Stella a Septentrione gallicinio ſurgens & in modum Luciferi ardens potius quam ſplendens apparuit, uiceſimoque die eſſe deſiuit. Templum Serapidis apud Alexandriam Theodoſij imp. edicto ſolutum eſt

Indictione iij. Valentiniano Aug. iiij. & Neoterio Coss

Signum in caelo quaſi columna pendens ardensque per dies XXX. apparuit. Galla Theodoſij uxor ab Arcadio priuigno ſuo ſepulta eſt. Obeliſcus in circo poſitus eſt,columna haud longe ab eccleſia conſtituta,quae argenteam Theodoſij magni ſtatuam ferens hactenus contemplatur

Indictione iiij. Titiano, & Symmacho Coss

Theodoſius imp. Italia decedens Conſtantinopolim remeauit. Valentinianus imp. apud Viennam dolo Arbogaſtis ſtrangulatus interijt Idib. Maijs. Eugenius Arbogaſtis fauore confiſus imperium ſibimet uſurpauit

Indictione v. Arcadio II. & Rufino Coss.

Arbogaſtes Valentiniano Imp. extincto,& Eugenio Caeſare facto, innumeras inuictiſſimasq; copias undique in Gallias contraxit, occidentale imperium, utpote ſibi uindicaturus uir, barbarus, animo, conſilio, manu, audacia, potentiaque nimius. Contraxit autem undique innumeras copias uel Romanorum praeſidijs, uel barbarorum auxilijs, alibi poteſtate, alibi cognatione ſubnixus. Vſque hunc XIIII. Theodoſij imperij annum, beatus Hieronymus poſt aſcenſionem domini N. Ieſu Chriſti à Petro apoſtolo incipiens, & in ſemetipſum deſinens CXXXV. uirorum illuſtrium eccleſiaſtica contra Porphyrium & Iulianum Auguſtum uolumina deſcripſit, apud Bethleem oppidum degens, ubi & monaſterium ſibi condidit,& alia multa eccleſiaſtica litteris quoque Hebraicis edoctus ſcripſit, finemque uitae ſuae admodum ſenex fecit, ibique ſepultus eſt, Catholicis quidẽ inexpugnabilis eccleſiae turris, haereticis autem omnibus infatigabilis hoſtis, tam propoſito uitae ſuae quam librorum a ſe editorum aſſertionibus depugnans

Indictione vi. Theodoſio iij. & Habundantio Coss

Honorium pater ſuus Theodoſius in eodem loco quo fratrem eius Arcadium Caeſarem fecit, id eſt ſeptimo ab urbe regia milliario. Tunc quippe hora diei tertia tenebrae factae ſunt

Indictione vij. Arcadio iij. & Honorio ij. Coss

Theodoſius Auguſtus aſſumpto Honorio Caeſare, eodemque filio contra Arbogaſten, qui

Eugenium

Eugenium tyrannum Imperatorem facere,niſus eſt, iterum properauit: bello commiſſo Eugenius uictus atque captus interfectusque eſt, Arbogaſtes ſua ſe mann perculit. Terremotu menſe Septembrio inNouembrium continuo imminente, aliquantae Europae regiones quaſſatae ſunt Thermae Arcadianae ex conditoris ſui nomine nomen acceperunt

Indictione viij. Olybrio, & Probino coss

Theodoſius Magnus apud Mediolanum uita deceſſit, imperauit annos XVI. Corpus eius eodem anno Conſtantinopolim allatum eſt, atque ſepultum. Arcadius,& Honorius germani utrũque imperium diuiſis tantum ſedibus tenere coeperunt. Rufinus clam Arcadio principi inſidias tendens, Alaricum Gothorum regem miſſis ei clam pecunijs infeſtum reip.fecit,& in Graeciam miſit. Porro detecto dolo ſuo Rufinus ab Italicis militibus, olim cum Gaina comite Arcadio miſſis,ante portas urbis merito trucidatus eſt. Caput eius manusque dextra per totam Cõſtantinopolim demoſtrata

Indictione ix. Arcadio iiij. & Honorio iij. coss

Rufini uxor & filia exulant. Eutropius ſacri palatij cubicularius omnes opes arripuit; auaritiamque trangreſſus eſt. Terraemotus per dies plurimos fuit, caelumqne ardere uiſum eſt

Indictione x. Caeſario, & Attico coss

His conſulibus Flaccilla Arcadio nata eſt filia

Indictione xi. Honorio iiij. & Eutychiano coss

Romanae eccleſiae Anaſtaſius XXXVII. epiſcopus ordinatus, uixit annos IIII. Ambroſius Mediolanenſis, uirtutum epiſcopus ſanctus, arx fidei, orator Catholicus ad Chriſtum dominum commigrauit. Ioannes Antiochiae natus, ibique à Meletio eiuſdem ciuitatis epiſcopo codemque confeſſore, lector eccleſiae ordinatus,per ſingulos officij gradus aſcendit, ubi per quinquennium continuum diaconus multos diuinosque edidit libros. Preſbyter quoque factus per XII. annos plures confecit. Tanta dehinc opinione ubique merito propagatus, Conſtantinopoli in locum Nectarij pontifex ſubiectus eſt, ubi plurima dulciaque diuinarum ſcripturarum uolumina ſuo operi Catholico addidit, hosque epiſcopos habuit inimicos: Theophilum Alexandrinum, Epiphanium Cyprium, Acacium Beroenſem, Antiochum Ptolomeenſem, Euerianum Gabalenſem,& Seuerianum Caldonenſem. Gildo comes idemque paganus (qui mortuo Theodoſio principe Africae praeerat, dum) Arcadio & Honorio adhuc pueris regnantibus inuidet, Africamque nititur obtinere, frater eius Maſcezel cognita eius ueſania, relictisq; duobus apud Africam filijs in Italiam remeat: Gildo utrumque fratris filium dolo trucidat. Maſcezel fratris ſcelere cognito cum quinque millibus ſuorum contra Gildonem cum LXX. millibus armatorum ſibimet obuiantem infeſtus accedit, Gildonemque parricidam ieiunijs & orationibus ſuis,immo beati Ambroſij in ſomnis admonitu, auxiliantibus fugauit. Gildo fugiens propria ſe manu ſtrangulauit, ſicque Maſcezel ſine bello uictoriam meruit, ac ſine caede uindictam

Indictione xij. Theodoro, & Eutropio euncho coss

Hic Eutropius omnium ſpadonum primus atque ultimus conſul fuit: de quo Claudianus poeta ait Omnia ceſſerunt eunucho conſule monſtra

Pulcheria Arcadio altera filia nata eſt. Gaina Comes apud Conſtantinopolim ad praeparandum ciuile bellum barbaros ſuos occulte admonet, ipſe ualetudinem ſimulans urbe digreditur, coepto aduerſus baptiſatos proelio plurimi hoſtium cadunt, ceteri fugientes eccleſiae noſtræ ſuccedunt, ibique retecto eccleſiae culmine iactisque deſuper lapidibus obruuntur

Indictione xiij. Stilicone, & Aureliano coss

Bellum nauale contra Gainam tyrannum inter Cheronneſſum & Helleſpontum geſtum eſt, multitudo ibidem Gothorum caeſa, uel demerſa ſunt. Gaina comes de hoc bello fugiens euaſit, ipſo tamen anno occiſus eſt menſe Februario

Indictione xiiij. Vincentio, & Frauitta coss

Caput Gainae haſtili praefixum Conſtantinopolim allatum eſt. Maris Ponti ſuperficies ita gelu fraenata eſt, ut per triginta dies ſoluta, tandem glacies inſtar montium per Propontidem ſuperne portata decurreret. Theodoſius Iunior patre Arcadio natus eſt IIII. Idus Apriles

Indictione xv. Arcadio v. & Honorio v. coss

Romanae eccleſiae Innocẽtius XXXVIII. creatus antiſtes, uixit annos XV. Theodoſius Iunior in loco quo pater, patruusque ſuus Caeſar creatus eſt. Conſtatinopoli ingens terrae motus fuit

Indictione i. Theodoſio Iuniore, & Rumorido coss

Marina parte Arcadio nata eſt III. Idus Februari. Eudoxiae Arcadij uxoris ſuper porphyreticam columnam argentea ſtatua iuxta eccleſiam poſita hactenus ſiſtit. Ioannẽ Conſtantinopolitanae ciuitatis epiſcopum cui ſupradicti ſex antiſtites in caſſum aemuli fuere, aliosque triginta ſibimet epiſcopos conſuere, uolente Arcadio principe in Cucuſum oppidum exulem miſerunt,

eumque

eumq;poſt annum in uillam,quae Comana in regione Pontica dicitur,de exilio in exilium relegarunt.Hunc ibidem mortuum religioſa Orthodoxorum plebs in atrio Baſilici epiſcopi ſancti, idemque martyris, in ſomnis admonita in nouum moxque repertum ſepulchrum condidit

Indictione ij.Honorio vi.& Ariſteneto coss

Eccleſiam Conſtantinopolitanam flamma ignis quae de beati Ioannis throno quondam epiſcopi nata fuit ſubito conflagrauit, uicinamque eccleſiae urbis faciem ſerpens nihilominus exuſſit. Eudoxia uxor Arcadij diem obijt

Indictione iij.Stilicone ij. & Anthemio coss

Iſauri per montem Tauri diſcurſantes ingens diſpendium reip. importarunt, quibus Narbazaicus legatus maius continuo rependit incommodum

Indictione iiij.Arcadio vi.& Probo coss

Theodoſius Iunior quinquennalia dedit, Radagayſus paganus,& Scytha cum ducentis millibus ſuorum totam Italiam inundauit. Huldin,& Saurus Hunnorum Gothorumque reges Radagayſum continuo confecerunt,ipſius capite amputato captiuos eius ſingulis aureis diſtrahentes

Indictione v.Honorio vij. & Theodoſio ij. coss

Ciſterna maxima iuxta porphyreticam Conſtatini Imperatoris columnam in foro eius ſub plateae tranſitu conſtructa eſt

Indictione vi. Baſſo, & Philippo cos

Stilico comes, cuius duae filiae,Maria & Tharmantia ſingulae uxores Honorij principis fuerent,utraq; tamẽ uirgo defuncta,ſpreto Honorij regno,regnum inhians,Alanorum,Sueuorũ,Vuandalorumque gentes donis pecunijsque illectas contra regnum Honorij excitauit. Eucherium filium ſuum paganum,& aduerſum Chriſtianos inſidias molientem cupiens Caeſarem ordinare, cum eodem Eucherio dolo ſuo detecto occiſus eſt.Romae in foro pacis per dies ſeptẽ terra mugitum dedit.Arcadius Imp.uitae finẽ fecit:regnauit poſt obitum patris ſui Theodoſij annos XIII

Indictione vij. Honorio viij.& Theodoſio Iuniore iij. coss

Apud Conſtantinopolim magna exarſit populi ſeditio, panis ſcilicet penuria ingruente

Indictione viij. Varano ſolo cos

Halaricus trepidam urbem Romam inuaſit, partemque eius cremauit incendio, ſextoque die quã ingreſſus fuerat depraedata urbe egreſſus eſt,Placidia Honorij principis ſorore abducta, quam poſtea Ataulpho propinquo ſuo dedit uxorem

Indictione ix.Theodoſio iiij. cos

Theodoſius Iunior decennalia,Honorius Romae uicennalia dedit.Conſtãtinus apud Gallias inuaſit imperium, filiumque ſuum ex monacho Caeſarem fecit: ipſe apud Arelatum ciuitatem occiditur. Conſtans filius eius apud Viennam capite plectitur

Indictione x. Theodoſio v. & Honorio ix. coss

Iouinus & Sebaſtianus in Gallijs tyrannidem molientes occiſi ſunt. Attalus in mari captus atque Honorio exhibitus truncata manu uitae relictus eſt

Indictione xi. Lucio ſolo cos

Eraclianus Africae comes cum ſeptingeotis, & tribus millibus nauium ad urbem tendẽs,mox territus & in fugam uerſus: arrepta naui ſolus Carthaginem redijt, ibique illico interfectus eſt

Indictione xij. Conſtantio,& Coſtante coss

Pulcheria Theodoſii ſoror Auguſta appellata eſt. Vallia rex Gothorum facta cum Honorio principe pace, Placidiam ſororem eius eidem uiduam reddidit

Indictione xiij. Honorio x. & Theodoſio vi. coss

Eccleſia Conſtantinopolitana dudum igni cremata his coss. reſtaurata dedicataque eſt Attico epiſcopo eandem regente eccleſiam,Lucianus preſbyter uir ſanctus,cui reuelauit deus his Coss. locum ſepulchri,& reliquiarum corporis ſancti Stephani martyris, ſcripſit ipſam reuelationẽ Graeco ſermone ad omnium eccleſiarum perſonas

Indictione xiiij. Theodoſio vij. & Palladio coss

Oroſius preſbyter Hiſpanici generis ſeptem libros hiſtoriarum deſcripſit.Miſſus ab Auguſtino epiſcopo idem Oroſius pro diſcenda animae ratione ad Hieronymum preſbyterum, reliquias beati Stephani tunc nuper inuentas rediens primus intulit Occidenti. Atticus Conſtantinopolitanus epiſcopus ſcripſit ad reginas Arcadii Imp. filias de fide & uirginitate ualde egregiũ opus in quo praeueniens Neſtorianum dogma impugnat

Indictione xv. Honorio xi. & Conſtantio ij. coss

Tenebrae in die facte ſunt. Cybera Aſiae ciuitas aliquantaque proedia terraemotu demerſa. Romanae eccleſiae Zoſimus XXXVIII. epiſcopus ſanctus ordinatus,uixit annos III

Indictione i. Honorio xij. & Theodoſio viij. coss

Plinta comes idemque rebellium apud Palaeſtinam prouinciam auctor [illegible]tus eſt. Defectus Solis factus eſt, Stella ab oriente per Septembrem menſem ſurgens ardensque apparuit

Indictione ij. Monaxio, & Plinta coss

Valentinianus Iunior apud Rauennam patre Conſtantio, & Placidia matre VI. Nonas Iulias natus eſt. Multae Palaeſtinae ciuitates uillaeque terraemotu collapſae. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſemper ubique totus, & ſuper montem Oliueti Hieroſolymae uicinum ſeſe de nube manifeſtauit: multae & tunc utriuſque ſexus uicinarum gentium nationes tam uiſu quam auditu perterritae atque credulae, ſacro Chriſti fonte ablutae ſunt, omniumque baptizatorum inimicis in tunicis crux Chriſti ſaluatoris, diuinitatis nutu, extemplo preſſa refulſit

Indictione iij. Theodoſio ix. & Conſtantio iij. coss

Romanae eccleſiae Bonifacius XL. epiſcopus ſanctus ordinatus, uixit annis tribus. In oriente tumultum milites excitarunt, ductoremque ſuum Maximinum nomine extinxerunt. In Perſide in Chriſtianos perſecutio deſaeuit

Indictione iiij. Euſtacio, & Agricola coss

Theodoſius Eudoxiam maecham duxit, Arcadio patri ſuo in foro eius ſuper immanem columnam, ingentem ſtatuam idem Theodoſius dedicauit. Ciſterna Aetij confracta eſt. Romani cum Perſis conflixere

Indictione v. Honorio xiij. & Theodoſio xi. coss

Theodoſius imp. Eudoxiam filiam genuit. III. tricennalia Honorij. Maximus tyrannus, & Iouinus ferro uincti, abducti de Hiſpanijs atque interfecti ſunt. Hunni Thraciam uaſtauerunt. Perſae cum Romanis pacem pepigere

Indictione vi. Aſclepiodoto, & Mariniano coss

Caeleſtinus Romanae eccleſiae XLI. antiſtes creatus eſt, uixit annis IX. Euagrius ſcripſit altercationem Iudaei Simonis & Theophili Chriſtiani, quae paenè omnibus nota eſt. Terraemotus multis in locis fuit, & frugum inedia ſubſecuta. Philippus & Saluſtius philoſohpi morbo perierunt, ſtella ſaepe ardente crinita Honorius imp. fatale munus impleuit

Indictione vij. Victore, & Caſtino coss

Placidia mater Valentiniani Auguſta nuncupata eſt. Valentinianus Caeſar creatus Theodoſii imp. Eudoxiam filiam ſibimet deſponſauit. Ioannes regnum occidentale Honorio defuncto (inuaſit

Indictione viij. Theodoſio xi. & Valentiniano coss

Suprafatus Ioannes dolo potius Ardaburii & Aſparis quam uirtute occiditur. Valentinianus Iunior apud Rauennam factus eſt imperator

Indictione ix. Theodoſio xij. & Valentiniano ij. coss

Siſinnius uir ſanctae ſimplicitatis, & ſimplicis ſanctitatis Conſtantinopolitanus epiſcopus fa (tus eſt

Indictione x. Hierio, & Ardaburio coss

Pannoniae quae per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, à Romanis receptae ſunt. Thermae Theodoſianae dedicatae

Indictione xi. Felice, & Tauro coss

Neſtorius Antiochiae natus, uir ſatis quidem eloquentiae ſapientiae uero parum habens, Conſtantinopolitanis admodum adnitentibus ex presbitero epiſcopus factus, ordinatus eſt. Beatiſſimi Ioannis epiſcopi ſancti dudum epiſcoporum exulis, atque apud comitatum defuncti coepit memoria celebrari menſis Septembris XXVI

Indictione xij. Florentio, & Dionyſio coss

Orthodoxi noſtri Macedonianorum eccleſiam extra muros urbis poſitam abſtulerunt, quonlam ijdem Macedoniani Antonium Germis Catholicum epiſcopum ſanctum interfecerunt. Beatiſſimus Auguſtinus Hipponenſis eccleſiae elegantiſſimus Chriſti ſacerdos, doctorque praecipuus morte placida quieuit

Indictione xiij. Theodoſio xiij. & Valentiniano iij. coss

Theodoſius imp. tricennalia geſſit. Felix apud Rauennam occiditur. Caeleſtinus Romanae arcis pontifex Neſtorio prauitatis epiſcopo per epiſtolam ſuam datis eidem X. dierum induciis, uel poenitenti ueniam, uel diſſentienti damnationem denũtiat. Idem Neſtorius eccleſiae Conſtãtinopolitanae perfidus antiſtes (à quo & Neſtoriana perfidia pullulat) apud Epheſum ducentorũ ſanctorum patrum in ſynhodo condemnatus eſt, Caeleſtino Cyrillum ei Alexandrinae ciuitatis epiſcopum pro tempore uicarium denuntiante: in locum Neſtorij Maximianus epiſcopus eſt (ſubrogatus

Indictione xiiij. Antiocho, & Baſſo coss

Flaccilla Theodoſij Auguſti filia extremum ſpiritum fudit. Barbari urbe Auguſta enutriti ad eccleſiam noſtram hoſtili ritu confluunt: ignem in eccleſiam ad conburendum altare dum infeſti

ſtì iaciunt,inuicem ſeſe,reſiſtente Deo, trucidant.Hoc tempore dum ad horrea publicà Theodoſius proceſſum celebrat imp. tritici in plebem ingruente penuria, ab orientis populo lapidibus impetitus eſt *Indictione xv. Valerio, & Aetio coss*

Romanae eccleſiae Xyſtus XLII. epiſcopus ordinatus uixit annis VIII. Placidiae matris Valentiniani Imp. inſtinctu ingens bellum inter Bonifacium & Aetium patricium geſtum eſt. Aetius longiore Bonifacij telo pridie ſibi praeparato, Bonifaciū congredientẽ uulnerauit illaeſus: tertioque menſe Bonifacius uulnere quo ſauciatus fuerat emoritur, Pelagiam uxorem ſuam ualde locupletem, nulli alteri niſi Aetio ut nuberet exhortans

Indictione i. Theodoſio xiiij. & Maximo coss

Maxima urbis Regiae pars Septentrionalis per tres dies continuos incenſa, collapſaque eſt menſe Auguſto

Indictione ij. Areobinda, & Aſpare coss

Honoria Valentiniani imp. ſoror ab Eugenio procuratore ſuo ſtuprata concepit, palatioque expulſa, Theodoſio principi de Italia tranſmiſſa eſt, male enim contra occidentalem remp. cogitabat

Indictione iij. Theodoſio xv. & Valentiniano iiij. coss

Forum Theodoſij Imp. in loco qui Heliane dicitur aedificatum eſt. Sebaſtianus Bonifacij quondam patricij gener urbe Augnſta fugit, atque in Africa interemptus eſt

Indictione iiij. Iſidoro, & Senatore coss

Theodoſius Imp. Cyzicum ciuitatem nauibus petit, multaque eidem ciuitati munificentia praeſtita, urbem Auguſtam renauigauit

Indictione. v Aetio, & Sigiſbuldo coss

Valentinianus Imp. Roma digreſſus eſt, ad copulandam ſibi in matrimonium Eudoxiā Theodoſij principis filiam quam dudum deſponſauerat, Conſtantinopolim aduenit; eaque ſibi nupta apud Theſſalonicam, Italiam repetens hyemauit

Indictione vi. Theodoſio xvi. & Fauſto coss

Contradis praedo cum piratis ſuiſque comitibus captus, interfectusqne eſt. Reliquiae beatiſſimi Ioannis Auguſtae urbis quondam epiſcopi eidem redditae ciuitati, ibique ſepultae menſe Ianuario die XXVIII. Valentinianus Imp. cum Eudoxia uxore Rauennam ingreſſus eſt. His diebus Proſper Regienſis epiſcopus contra librum Caſſiani de protectione dei conſcriptut, in quo illum liberum arbirium multum extuliſſe exprobrauit

Indictione vij. Theodoſio xvij. & Feſto coss

Theodoſius Imp. octaua quinquennalia edidit. Eudoxia uxor Theodoſij principis ab Hieroſolymis urbem Regiam remeauit, beatiſſimi Stephani primi martyris reliquias quae in baſilica S. Laurentij poſitae uenerantur, ſecum deferens. Hoc tempore Genſericus rex Vandalorum Africam prouinciam Carthaginemq; metropolim cū ſuis ſatellitibus occupauit XIIII. Kal. Nouemb

Indictione viii. Valentiniano v. & Anatolio coss

Paullinns magiſter officiorum in Caeſarea Cappadociae, iubente Theodoſio * Romanae eccleſiae Leo XLVIII. papa creatus uixit annis XXI

Indictione ix. Cyro ſolo cos

Perſae Sarraceni, Zanni, Iſauri, Hunni finibus ſuis egreſſi Romanorum ſola uaſtarunt. Miſſi ſunt contra hos Anatolius & Aſpar magiſtri militiae, pacemque cum eis unius anni fecerunt. Ioannes natione Vandalus magiſterque militiae Arnegyſli fraude in Thracia interemptus eſt. Hunnorum reges cnm numeroſis ſuorum millibus in Illyricum irruerunt: Naiſum, Singidunū aliaſque ciuitates, oppidaque Illyrici plurima exciderunt

Indictione x. Eudoxio, & Dioſcoro coss

Stella quae crinita dicitur per plurimum tmpus ardens apparuit. Bleda & Attila fratres multarumque gentium reges Illyricum Thraciamque depopulati ſunt

Indictione xi. Maximo ii. & Paterio coss

His conſulibus tanta nix cecidit ut per ſex menſes uix liqueſcere potuerit, multa hominum & animalium frigoris rigore confecta perierunt. Theodoſius Imp. ex Aſiana expeditione urbem Regiam redijt. Thermarum quae Achilleae dicuntur Enchaeniae factae

Indictione xii. Theodoſio xviii. & Albino coss

Theodoſius princeps nona quinquennalia dedit: Arcadia ſoror Theodoſij uiuendi finem fecit. Aliquanta Bithyniae oppida atque praedia continuarum ui longa pluuiarum, & fluuiorū inundatione creſcentium ſublapſa diſſolutaque perierunt. Seuerum preſbyterum & Ioannem diaconnm Eudoxiae reginae apud Aeliam urbem miniſtrantes, miſſus ab Imp. Theodoſio Saturninus comes domeſticorū occidit. Eudoxia neſcio quo excitata dolore, Saturninū protinus obtruncauit, ſtatimq; mariti Imp. nutu regijs ſpoliata miniſtris, apud Aeliam remanſit moritura

G Indict

Indictione xiij. Valentiniano vi. & Nonio coss

Bleda rex Hunnorum Attile fratris ſui inſidijs interimitur. Apud Byzantium populari orta in circo ſeditione multi ſeſe inuicem occiderunt, multaque extrinſecus hominum pecudumque corpora perierunt *Indictione xiiij. Symmacho, & Aetio iij. coss*

His conſulibus magna fames Conſtãtinopolim inuaſit peſtisq; ilico ſubſecuta. Templũ regiae ciuitatis igne crematũ *Indictione xv. Ardabure, & Callepio coss*

Ingenti terraemotu per Locaria imminente plurimae urbes, Auguſtae muri recenti adhuc ædificatione conſtructi, cum LVII. turribus corruerunt. Saxa quoque ingentia in foro Tauri dudum ſuper ſeſe in aedificio poſita, ſtatuaeque plurimae ſine ullius ſcilicet laeſione collapſae ſunt, plurimis nihilominus ciuitatibus collapſis, fames, & aeris peſtifer odor multa millia hominum iumentorumque deleuit: ingens bellum & priore maius per Attilam regem noſtris inflictum, paene totam Europam, excisis inuaſisque ciuitatibus atq; caſtellis, corroſit. Eodem anno, urbis Auguſtae muri olim terraemotu collapſi, intra tres menſes Conſtantino praefecto praetorio ope ram dante reaedificati ſunt. Attila uſque ad Thermopolim infeſtus aduenit. Arugislus magiſter, militiae in ripenſi Dacia iuxta Vtum amnem ab Attila rege, uiriliter pugnas, plurimis hoſtium interemptis, occiſus eſt *Indictione i. Zenone, & Poſtumiano coss*

Prouincia India Theodoſio principi pro munere Tigrim domitam miſit. Vtramque porticum Troadenſem, turresque portarum utraſque ignis ſubitus exuſſit, quarum ruina continuo repurgata Antiochus praefectus praetorio in priſtinam erexit ſpeciem, Legatis Attilae a Theodoſio depactas olim pecunias flagitantibus

Indictione ij. Protogene, & Aſterio coss

Marina Theodoſij ſoror fati munus impleuit. Flauianus epiſcopus ſecunda apud Epheſum ſynhodo, ui Dioſcori Alexandrini epiſcopi, & Saturnini ſpadonis in Epipam exulat. Areobinda & Taurus patricij communi uita defuncti ſunt

Indictione iij. Valentiniano vij. & Auieno coss

Theodoſius imp. uiuendi finem fecit: regnauit poſt mortem Arcadij patris ſui annos XLII. Loco eius Marcianus imperium adeptus eſt. Cryſaphius eunuchus Pulcheriae Theodoſij ſororis nutu, ſua cum auaritia interemptus eſt

Indictione iiij. Marciano Aug. & Adelphio coss

Leone pontifice ſedem B. Petri regente DCXXX. patrum ſancta & uniuerſalis ſynhodus cõtra Eutychetem nefandiſſimorum praeſulem monachorum, apud Chalcedonam in baſilica ſanctae Euſemiae firmata eſt: ſolus Dioſcorus Alexandrinae eccleſiae epiſcopus deſcendit, ſtatimque ab ijſdem Catholicis patribus ſacerdotio abdicatus eſt

Indictione v. Aſporacio, & Herculano coss

Marcianus Aug. ſuis ſtatuit decretis, ut hi qui conſules fieri cupiebant nihil aeris in populum ſpargerent, ſed ſtatutam pecuniam ad reparandum urbis aquaeductum dependerent. Hoc tempore tres magni lapides e caelo in Thracia ceciderunt. Aquileia ciuitas ab Attila Hunnorũ rege exciſa eſt *Indictione vi. Vincomalo, & Opilione coss*

Ioannes praecurſor domini & Baptiſta, caput ſuum, quod olim Herodes impia nefandaq; poſtulatione ab humeris amputatum & in diſco poſitum accepit, proculque truncato eius corpore ſepeliuit, duobus orientalibus monachis ob adorandam apud Hieroſolimam Chriſti domini reſurrectionem introeuntibus, reuelauit, ut ad Herodis quondam regis habitaculum acce dentes admonita requirerent fideliterq; humo extollerent. Hoc ergo caput fidei repertum ſuaq; hiſpida in mantica conditum, dum ad propria remeantes habitacula * peruenerunt, quidam Emiſenae figulus ciuitatis diuturnam imminentemq; ſibi fugiens paupertatem ſeſe his exhibuit comitem, quiq; dum neſciens peram ſibi creditam cum ſacro capite portat, ab eo cuius caput uehebat noctu admonitus utrunque comitem fugiens, ſtatimq; Emiſenam urbem cum ſancto leuiq; oneri introgreſſus eſt. Ibique dum aduixit praecurſoris Chriſti ueneratus eſt caput, moriensq; ſorori ſuae rerum neſciae ſignatum in uaſculo tradidit colendum. Illa uero ſucceſſori ſuo poſitum ſignatumq; ut erat dereliquit. Porro Euſtochius quidam occultus Arrianae perfidiae presbyter, talem tantumque theſaurum indignus obtinuit, gratiamque quam Chriſtus dominus per Ioannem Baptiſtam infirmo populo tribuebat, is eam, ac ſi ſuam duntaxat, in uulgo diſſeminabat. Hic prauitate ſua detecta Emiſena urbe expulſus eſt. Hoc inde antrum in quo beatiſſimi Ioannis caput in urnam miſſum ſub terraque conditum erat, quidam monachi pro habitaculo habere coeperunt. Marcellus demum presbyter totiusq; monaſterij praeſul dum in eodem ſpecu uita irreprehenſibili, habitat, idem B. Ioannes Chriſtiq; praecurſor ſeſe eidem ſuumque caput oſtendit, ibidemque ſepultum multis praeſulgens uirtutibus patefecit. Hoc igitur uenerabile caput Iuliurano memoratae epõ ciuitatis per praefatum Marcellum presbyterũ conſtat

(inuentum

inuentum Vincomalo,& Opilione coſs.menſe Februario,die XXIIII.media ieiuniorum paſcha ſium ſeptimana. Impp.uero Valentiniano, & Marciano regnaotibus. Pulcheria Auguſta Marcia ni principis uxor,B. Laurentij atrium inimitabili opere conſumauit,beatumq; uiuendi finē fecit

Indictione vii.Aetio, & Studio coſs

Attila rex Hunnorum Aetii hortatu, noctu Prouinciae mulieris manu cultroque confodi-tur.Quidam uero ſauguinis reiectione eum necatum perhibent. Aetius patricius magna occi-dentalis reip.ſalus,& regis quondam Attilae terror,a Valentiniano imp.cum Boetio amico in Pa latio trucidatur, atque cum ipſo Heſperium cecidit regnum, nec hactenus ualuit releuari

Indictione viii.Valentiniano viii.& Anthemio coſs

Valentinianus princeps dolo Maximi patricii, cuius etiam fraude Aetius perierat, in campo Martio per Oſtilam, & Trauſtilam Aetii ſatellites, iam percuſſo Heraclio ſpadone, truncatus eſt. Idem Maximus inuaſit imp.tertioque tyrannidis ſuae menſe, membratim Romae a Roma-nis tractus diſcerptusque eſt.Genſericus rex Vuandalorum ab Eudoxia Valentiniani uxore epi-ſtolis inuitatus ex Africa Romam ingreſſus eſt, eaque urbe rebus omnibus ſpoliata, eandem Eu doxiam cum duabus filiabus ſecum rediens abduxit

Indictione ix.Ioanne, & Varano coſs

His conſulibus innumera locuſtarū agmina fructum Phrygiae uaſtauerunt.Eucherius Lugdu nenſis eccleſiae pontifex multa ſcripſit tam eccleſiaſticis, quam monaſticis ſtudiis neceſſaria

Indictione x.Conſtantino, & Rufino coſs

Marcianus imp.bonis principibus comparandus uitae ſpiritum amiſit, imperauit annos vi. menſes v.Leo eidem defuncto ſucceſſit,cuius uoluntate Maiorianus apud Raueonā Caeſar eſt or (dinatus

Indictione xi.Leone Aug.& Maioriano coſs

Leo imp.pro tomo Chalcedonenſi per uniuerſum orbem ſingulis Orthodoxorum epiſcopis, ſingulas conſonantesque miſit epiſtolas,quo ſibi quid de eodem tomo ſentirent ſuis ibi reſcri-ptionibus indicarent. Horum omnium epiſcoporum ita conſpirantes ſuſcepit epiſtolas,ut eas putares uno tempore uniusque uiri eloquio fuiſſe dictatas

Indictione xii.Patricio, & Ricimere coſs

Iſaac Antiochenae eccleſiae presbyter ſcripſit Syro ſermone multa,praecipue aduerſus Neſto rianos,& Eutycianos.Ruinam etiam Antiochiae elegio carmine planxit, quemadmodum Effrē monachus Nicomediae lapſum

Indictione xiii.Apollonio, & Magno coſs

Cyzicus ciuitas terraemotu concuſſa murorumque ſuorum ambitu interrupta ſeſe ſuosque (diu deplanxit

Indictione xiiii.Dagalaipho,& Seuerino coſs

Romanae eccleſiae Hilarus XLIIII. pontifex factus,uixit annos VI Maiorianus Caeſar apud Derthonam iuxta fluuium, qui Hyra dicitur, interemptus eſt, locum eius Seuerus inuaſit

Indictione xv.Leone Aug.ii.ſolo cos

Iacobus natione Achaius,religione paganus, medicinae artis peritia, tam ingenio quam lite ratura claruit,hic ob medendum Leonem Aug. febre defatigatum, ſacrum palatij cubiculum intrauit,ſtatimque regia in ſella iuxta thorum imperialem poſita, ſine ullo Auguſti nutu conſe dit,ſicque medicas adhibuit manus: porro meridie ad eundem reuerſus ſacrum puluinar ſublatū ſibi propter ſolum in quo matutinus reſederat protinus intellexit,ſpondamque thori regiam in-trepidus ſuperſedit,ueterum ſtudij Iuriſperitorum praeceptionibus monitum id ſeſe geſſiſſe, non temere praeſumpſiſſe egrotantem docuit principem

Indictione i.Vibiano, & Felice coſs

Proſper homo Aquitanicae regionis, ſermone ſcholaſticus, & aſſertionibus neruoſus multa compoſuiſſe dicitur. Epiſtolae quoque Leonis aduerſus Eutychen de uera Chriſti incarnatione datae ab iſto dictatae creduntur

Indictione ii. Ruſtico, & Olybrio coſs

Beorgor rex Alanorum a Ricimere rege occiditur

Indictione iii.Baſiliſco, & Herminerico coſs

Conſtantinopolis magno inuaſa incendio facieue foedata deplangitur

Indictione iiii. Leone Aug.iii.ſolo cos

Seuerus qui Occidētis arripuit principatum Romae interijt. Theodoritus epiſcopus ſanctus Cyri ciuitatis ſcripſit de incarnatione domini aduerſus Eutychen, & Dioſcorum Alexandrinae eccleſiae epiſcopos, qui humanam in chriſto carnem negant

Indictione v. Puſeio, & Ioanne coſs

Leo imp.Anthemium patricium Romam miſit,Imperatoremque conſtituit. Rauennam ciui tatem terraemotus deteruit.S.R.E. Simplicius XLV.pontifex creatus uixit ann.XVI

Indiction vi. Anthemio Aug. ij. ſolo cos

Marcellinus Occidentis patricius idemque paganus, dum Romanis contra Vuandalos apud
Carthaginem pugnantibus opem auxiliumq; fert, ab ijſdem dolo confoditur pro quibus palam
uenerat pugnaturus

Indictione vij. Zenone, & Marciano coss

His conſulibus caput Denſicis Hunnorum regis Attilae filij Conſtantinopolim allatum eſt

Indictione viij. Iordane, & Seuero coss

Gennadius Conſtantinopolitanae eccleſiae pontifex Danielem prophetam ex integro ad uer
bum commentatus eſt, & homilias multas compoſuit

Indictione ix. Leone Aug. iiij. & Probiano coss

Aſpar primus patriciorum cum Ardabure, & Patriciolo filijs, illo quidem olim patricio, hoc
autem Caeſare generoque Leonis appellato, Arrianus cum Arriana prole ſpadonum enſibus in
Palatio uulneratus interijt

Indictione x. Marciano, & Feſto coss

Veſuuius mons Campaniae torridus inteſtinis ignibus aeſtuans exuſta uomit uiſcera, noctur
niſque in die tenebris omnem Europae faciem minuto contexit puluere. Huius metuendi me-
moriam cineris Byzantii annue celebrant VIII. Idus Nouemb. Anthemius imp. Romae a Ricime
re genero ſuo occiditur. Loco eius Olybrius ſubſtitutus, ſeptimo menſe imperij ſui uita defun-
ctus eſt. In Aſia aliquantae ciuitates uel oppida terraemotu collapſa ſunt

Indictione xi. Leone Aug. v. ſolo cos

Glicerius apud Rauennam plus praeſumptione quam electione Caeſar factus eſt. Conſtanti-
nopoli in circo ſeditione orta, multi Iſaurorum a populo interfecti ſunt

Indictione xii. Leone Iuniore ſolo cos

Leo ſenior imp. Leone Iuniore a ſe iam Caeſare conſtituto, morbo periit, tam ſui imperii an-
nis quam huius Leonis menſibus computatis anno XVII. mēſe VI. Zenonem Leo Iunior idemq;
filius imp. principem regni conſtituit, Glicerius Caeſar Romae imperium tenens a Nepote Mar
cellini quondam patricii ſororis filio, imperio expulſus in Portu urbe ex Caeſare epiſcopus, or
dinatus eſt, & obiit *Indictione xiii. Zenone Aug. ii. ſolo cos*

Zeno imp. Verinae ſocrus ſuae, & Baſiliſci fratris eius inſidiis circumuentus cum Ariadna
uxore ſua profugus in Iſauriam tendit. Regnum Zenonis Baſiliſcus tyrannus inuaſit. Nepos
qui Glicerium regno pepulerat Romae eleuatus eſt imp. Nepote Oreſtes protinus effugato, Au-
guſtulum filium ſuum in imperium collocauit

Indictione xiiii. Baſiliſco, & Armato coss

Baſiliſcus tyrannus Marco filio ſuo Caeſare facto, dum contra fidem catholicam Neſtoriana
perfidia intumeſcens conatur aſſurgere, ante inflatus crepuit quam poenitere potuerit. Baſiliſcus
cum filio ſuo, & Xenodina uxore ſua, iam Zenone priſtinum ad imperium remeante, in exilium
miſſus eſt, atq; in oppidulum quod Lyminis in prouincia Cappadociae dicitur truſus fame ex-
tabuit. Odoacer rex Gothorum Romam obtinuit, Oreſtem Odoacer ilico trucidauit, Augu-
ſtulum filium Oreſtis Odoacer in Luculleno Campaniae caſtello exilii poena damnauit. Heſpe
rium Romanae gentis imperium, quod ſeptingenteſimonono urbis cōditae anno primus Augu
ſtorū Octauianus Auguſtus tenere coepit, cū hoc Auguſtulo periit, anno deceſſorū regni Impera
torum DXXII. Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus

Indictione xv. ſine conſulibus

Bracilam comitem Odoacer rex apud Rauennam occidit

Indictione i. Illo ſolo cos

Theodolus presbyter in Coeleſyria multa conſcripſit, clarusque habetur

Indictione ii. Zenone Aug. iii

Sabinianus magnus Illyricianae militiae ductor creatus curiam collatoremque, iuſtum Reip.
cenſum uel praeparantem fouit, uel dependentem tutatus eſt. Peaeterea militaris ita optimus in
ſtitutor coercitorque fuit, ut priſcis Romanorum ductoribus comparetur. Theodericum re-
gem idem Sabinianus apud Graeciam debacchantem ingenio magis quam uirtute deterruit

Indictione iii. Baſilio ſolo cos

Vrbs regia per XL. dies continuos aſſiduo terraemotu quaſſata magnopere ſeſe afflictam de-
planxit. Ambae Troadenſes porticus corruerunt, aliquantae eccleſiae uel ſciſſae ſunt uel colla-
pſae. Statua Theodoſii magni in foro Tauri ſuper coclidem columnam poſita corruit, duobus
fornicibus eius fori collapſis, Hunc formidoloſum diem Byzantii celebrant VIII. Kal. Octob.
His coss. Nepos quem dudum Oreſtes imperio abdicauerat Viatoris, & Ouidae comitum inſi-
dijs, haud longe a Salonis ſua in uilla occiſus eſt

Indict

Indiction eiiij.Placido ſolo cos

Theodericus Triarij filius rex Gothorum accitis ſuis uſque ad Anaplum, quartum urbis milliarium aduenit, nulli tamen Romanorum noxius continuo reuerſus eſt. Porrò in Illyricum properans dum inter ſuorum mouentia plauſtra progreditur, iacentis ſuper carpentum teli acumine, & paueſcentis equi ſui impulſione, fixus tranſuerberatusque interijt. Sabinianum magnũ mors quae huic peccanti mundo merito imminet ante diem eum ademit, quamquam integrum deſatigatae reip. praeſidium eſſet

Indictione v. Trocondo, & Seuerino coss

Romanae eccleſiae Felix XLVI. epiſcopus ordinatus, uixit annis XII. Theodericus cognomento Valamer utramque Macedoniam, Theſſaliamq; depopulatus eſt, Lariſſamque metropolim depraedatur

Indictione vi. Fauſto ſolo cos

Idem Theodericus rex Gothorum Zenonis Aug. munificentijs paenè pacatus, magiſterque praeſentis militiae factus, conſul quoque deſignatus, creditam ſibi ripenſis Daciae partem, Maeſiaeque inferioris cum ſuis ſatellitibus pro tempore tenuit

Indictione vij. Theoderico, & Venantio coss

Illus natione Iſaurus, dignitate magiſter officiorum amputata apud comitatum auricula, oriẽtem Zenoni inuaſit. Porrò cum Leontio tyrannidem arripuit. Totam per Africam crudelis Hunerici Vuandalorum regis in noſtros Catholicos perſecutio importata eſt, exulatis diffugatisque pluſquam CCCXXXIIII. Orthodoxorum ſanctis, eccleſijsque eorum clauſis, plebs fidelium ſub uarijs acta ſupplicijs beatum conſummauit agonem: nempe tunc idem rex Hunericus, unius Catholici adoleſcentis uitam a natiuitate ſua ſine vllo ſermone ducentis linguam praecepit abſcindi, idemque mutus quod ſine humano auditu Chriſto credens fide didicerat, mox praeciſa ſibi lingua locutus eſt, gloriamque deo in primo uocis ſuae exordio dedit. Denique ex hoc fidelium conturbernio aliquantos ego religioſiſſimos praeciſis linguis manibusque truncatis, apud Byzantium integra uoce conſpexi loquentes. Haec Arrianorum crudelitas in religioſos Chriſti cultores ſupraſcriptis coss. menſe Februario coepit infligi

Indictione viij. Symmacho ſolo cos

Longinus Zenonis Auguſti frater, poſt decennalem cuſtodiam quam eidem Illus apud Iſauriam inflixerat ad germanum ſuum Conſtantinopolim aduenit

Indictione ix. Longino ſolo cos

Ioannes Antiochenae parrochiae ex grammatico preſbyter, ſcripſit aduerſum eos qui in una tantum ſubſtantia adorandum aſſerunt Chriſtum, nec adquieſcunt duas in Chriſto confitendas naturas

Indictione x. Boetio ſolo cos

Theodericus rex Gothorum Zenonis Auguſti beneficiis ſatiatus, cum magna ſuorum manu uſque ad regiam ciuitatem, & Melentiadam oppidum infeſtus acceſſit, plurimisque locis igne crematis ad Nouenſem Maeſiae ciuitatem unde aduenerat, remeauit

Indictione xi. Dinamio, & Sifidio coss

Leontius interrex, & Illus tyrannus in Papyrio Iſauriae caſtello capti, decollatique ſunt. Capita eorum Conſtantinopolim allata praefixaque haſtilibus tabuere. Eodem anno Theodericus rex omnium ſuorum multitudine aſſumpta Gothorum in Italiam tendit

Indictione xij. Euſebio, & Probino coss

Idem Theodericus rex Gothorum optatam occupauit Italiam, Odoacer itidem rex Gothorum metu Theoderici perterritus Rauennam ingreſſus eſt. Porrò ab eodem Theoderico periurijs illectus, interfectus eſt

Indictione xiij. Longino ij. & Fauſto coss

Zeno imp. Plagij gulam in inſula quae Paganorum dicitur laqueo frangi praecepit

Indictione xiiij. Olybrio ſolo cos

Zeno Auguſtus uita deceſſit tam ſui imperij annis quam Baſiliſci tyrãnidis menſibus computatis anno XVII. menſe VI. Anaſtaſius ex ſilentiario imperator creatus eſt. Bellum plebeium inter Byzantios ortum, parsque urbis plurima atque circi igne combuſta

Indictione xv. Anaſtaſio Aug. & Ruſo coss

Dum bellum paratur Iſauricum, dumque Iſauri imperium ſibi uendicare nituntur, in Phrygia iuxta Cotciaum ciuitatem unde confluunt, Lilingis, ſegnis quidem pedes, ſed eques in bello acerrimus, a Romanis primus in proelio trucidatus, omnesq; ſimul Iſauri fugae dediti per montana aſperaque loca Iſauriam repetunt. Hoc bellum Iſauricum per ſex annos tractum eſt

Indictione i. Euſebio ij. & Albino coss

Bella ciuilia aduerſus Anaſtaſij regnũ apud Conſtãtinopolim geſta ſunt, ſtatuae regis reginaeq; funibus per urbem tractae, Iulianus magiſter militiae nocturno proelio pugnans Getico ferro in Thracia conſoſſus interijt

Indictione ij. Aſterio, & Praeſidio coss

Anaſtaſius imp. contra Orthodoxorum fidei maieſtatem inteſtina coepit proelia commouere, piaculi ſui perfidiam prius in Euſemium urbis epiſcopum, ſibi pro Orthodoxorum fide uiriliter reſultãtem profano manifeſtauit ingenio. Laodicea, Hierapolis, atque Agathicum uno tempore unoque terraemotu collapſae ſunt. Romanae eccleſiae XLVII. Gelaſius epiſcopus ſanctus ordinatus uixit annos tres

Indictione iij. Viatore ſolo cos

Euſemius Auguſtae ciuitatis antiſtes de quo ſuperius fecimus mentionem, falſo ab Anaſtaſio principe accuſatus, atque damnatus in exilium ductus eſt. Locum Euſemii Macedonius tenuit

Indictione iiij. Paullo ſolo cos

Auguſtatico ſuo dudum Anaſtaſius militibus praeſtito, donatiuum quoque hoc, fratre conſule tribuit. India Anaſtaſio principi elephantem quem Plautus poeta noſter Lucabum nomine dicit, duoſque Camelopardalos pro munere miſit

Indictione v. Anaſtaſio Aug. ſolo cos

Solis defectus apparuit. Bellumque Iſauricum hoc ſexto anno ſedatum. Antenodorus Iſaurorum primus in Iſauria captus, decollatusque eſt. Caput eius Tharſum ciuitatem allatum pro portis haſtili fixum extabuit

Indictione vi. Ioanne Scytha, & Paullino coss

Romanae eccleſiae XLVIII. Anaſtaſius pontifex ordinatus uixit annos II. Longinus Iſaurius cognomento Selinunteus apud Antiochiam Iſauriae ciuitatem a Priſco comite captus Conſtantinopolim miſſus eſt, catenatusque per agentem circnnductus Anaſtaſio principi, ſpectante populo ingens ſpectaculum fuit, uarijſque deinde cruciatibus apud Nicaeam Bithyniae ciuitatem expenſus eſt. Nummis quos Romani Terentianos, Graeci Follerales uocant, Anaſtaſius princeps ſuo nomine figuratis placabilem plebi commutationem diſtraxit

Indictione vii. Ioanne Gibbo ſolo cos

Ariſtus Illyricianae ductor militiae cum XV. millibus armatorum, & cum DXX. plauſtris armis ad proeliandum neceſſariis oneratis contra Bulgares Thraciam deuaſtantes progreſſus eſt. Bellum iuxta Zurtam fluuium conſertum, ubi plus quam IIII. millia noſtrorum aut in fuga aut in praecipitio ripae ſiccae, & ſine flumine interempta ſunt. Ibique Illyriciana uirtus militum periit, Nicoſtrato, Innocentio, Tanco, & Aquilino comitibus interfectis. Hoc anno ingens terraemotus Ponticam concuſſit prouinciam

Indictione viii. Patricio, & Hypatio coss

Romanae eccleſiae Symmachus epiſcopus ſanctus factus uixit annos XV. Anaſtaſius imp. donatiuum Illyricianis militibus per Paullum tribunum notariorum, erogandum miſit

Indictione ix. Pompeio, & Auieno coss

Conſtãtino praefecto urbis ludos theatrales meridiano tempore ſpectante, pars in eodem ſpectaculo Cerealis ſub diuerſis cellulis occultas praeparauit inſidias. Nam enſes ſaxaque uaſis incluſa fictilibus, eademque arma diuerſis pomis deſuper cumulatis ſub Theatri porticu ritu uendentium ſtatuit. Dum reſidente Conſtantino ex more ciuium crepant uoces, ante uiſa quam audita arma excutiuntur, ſaxaque in incautos ciues inſtar imbrium iaciuntur, enſesque uibrati in amicorum inque vicinorum capita, ſanguine obliti ſuis cum percuſſoribus debaccantur; nutat, & contremiſcit theatri cauea, refugientium huc atque illuc ſuorum pedibus conculcata, occiſorumque foedata cruore deplãgitur, plus enim quam tria millia ciuium ſaxis gladijſque comprehenſionibus, & aquis proſcennia miſſus urbs Auguſta defluit

Indictione x. Probo, & Auieno coss

Conuicta gens Bulgarorum depraedata ſaepe Thraciam, nullo Romanorum milite reſiſtente, iterum deuaſtauit. Amydam opulentiſſimam ciuitatem, monachorum eius aſtu proditam Choadis rex Perſarum quinto menſe quam expugnare eam coeperat irrupit, proditoreſq; eius monacbos obtruncauit

Indictione xi. Dexecrato, & Voluſiano coss

Tres Romanorum ductores, Patricius, Hypatius & Areobinda qui cum XV. millibus armatorum olim contra Perſas miſſi fuerant, pugnaturi iuxta Syſream caſtellum cum ijſdem Perſis, ſine audacia conflixerunt, multi tunc militum, ductoribus de exercitu fugientibus caeſi ſunt. Immenſo dehinc auri pondere boſtibus dato, captam rebusque vacuam Amydam ciuitatem, idem noſtri redemerunt ductores, Celere magiſtro officiorũ ſibi cum ij. millibus bellatorũ in ſubſidiũ (deſtinato

Indictione xij. Cettibo ſolo cos

Interea Celer magiſter officiorum per Callinicum Meſopotamiae ciuitatem armato duce milite ad deuaſtanda Perſarum rura diſcurrit, plurimos agreſtes ruſticis intentos laboribus more

pecudum

pecudum trucidat, paſtores diuerſorum pecorum cum numeroſis iumentis abducit, caſtella latere lutoque conſtructa inuadit, uſq; ad pontem ſerreum ſic nomine dictum cuncta uaſtanda progreditur, omni praeda potitus ad communia caſtra ditato milite remeat, aliquanta dehinc ob percutiendum foedus cum Perſis, deliberat, miſſo ad ſe pro pepigẽdo foedere Armonia a ſecretis

Indictione xiij. Sabiniano, & Theodoro coss

Idem Sabinianus Sabiniani magni filius, ductorque militiae, delicatus, contra Mundonem Getam arma conſtruxit x. millia armatorum ſibi aſciuit, horum plauſtra quae armis atque commeatibus onerata erant ſecum trahens pugnaturus acceſſit, commiſſo iuxta Margum plano oppido multis ſuorum militibus in hoc conflictu perditis, & in Margo flumine enecatis, amiſſis praeterea plauſtris in caſtellum quod Nato dicitur cum paucis ſugit, tanta in hoc lamentabili bello ſpes cecidit, ut quantum apud mortales nequaquam potuerit reparari

Indictione xiiij. Areobinda, & Meſſalla coss

His coss. Anaſtaſij principis ſtatua in eodem loco quo dudum Theodoſij Magni ſteterat ſuper immanem columnam in ſoro Tauri facta eſt

Indictione xv. Anaſtaſio Aug. iij. coss

Sedicio popularis in circo facta eſt, miles & armatus obſtitit. Gradus circi Septemtrionalis ſua cum fornice incenſi collapſique ſunt Anaſtaſio Caeſare in proceſſibus commorante

Indictione i. Celere, & Venantio coss

Romanus comes domeſticorum, & Ruſticus comes ſcholae cum C. armatis nauibus totidemque dromonibus VIII. millitum armatorum ſecum ferentibus ad deuaſtanda Italiae littora proceſſerunt, & uſque ad Tarentum antiquiſſimam ciuitatem aggreſſi ſunt, remenſoque mari inhoneſtam uictoriam, quam piratico caſu Romani ex Romanis rapuerunt, Anaſtaſio Caeſari reportarunt

Indictione ij. Importuno ſolo cos

Orto Auguſtae urbis incendio utramq; porticum à foro Conſtantini uſque ad Iccae tenuiſſimam ſtatuam ignis in puluerem redegit. Portus Iuliani undis ſuis rotabilibus machinis prius exhauſtus, coenoque effoſſo purgatus eſt

Indictione iij. Boetio ſolo cos

Simulachrum aeneum in foro Strategii ſuper fornicem reſidens, & cornu copiae fortunae retinens incendio proflammatum eſt, combuſtumque brachium, quod tamen ſtatuarij continuo ſolidarunt. Appius patricius exulat. Conſtantinus olim magiſter militiae epiſcopus Laodiceae (ordinatus eſt

Indictione iiij. Secundino, & Felice coss

Macedonius Auguſtae urbis epiſcopus licet olim Anaſtaſij imp. pauoremque eiuſdem Caeſaris, accuſatus quoniam tomum ſanctorum patrũ apud Chalcedonem ſancta dudũ ſubſcriptione roboratum, eidem principi dare diſtulit, ab eodem Euchaita in exilium deputatus eſt. Locum Macedonij Timotheus meridiano tempore ab Anaſtaſio Caeſare epiſcopus ordinatus inuaſit

Indictione v. Paullo, & Muſchiano coss

Saepe caelum ſeptemptrionali plaga ardere uiſum eſt. Die dominico, dum iubente Anaſtaſio Caeſare, per Platonem in eccleſia pulpito inſiſtentem in hymnum trinitatis dei, Paſſianorum quaternitas additur, multi Orthodoxorum priſtina uoce pſallentes, perfidosque praecones clamoribus obiurgantes, in eiuſdem eccleſiae gremio caeſi ſunt, ductique in carceres perierunt, altera nihilominus die in atrio ſancti Theodoſij maiori caede pro fide unica perculſi ſunt. Quapropter commota Orthodoxorum agmina die ſequenti, id eſt viij. Idus Nouemb. (in quo die memoria cineris dudum totam Europam tegentis apud Byzantium celebratur) in forum cum conſtantia undique confluunt, quorum alij quidem ceteris die noctuque hymnum trinitatis Chriſto deo pſallentibus, totam peragrant ciuitatem, & Anaſtaſium Caeſaris monaſtico habitu adſertatores ferro flammiſq; intertmunt, alij claues portarum omniaque ſigna militaria ad forum quo religioſi caſtra metati fuerant deferunt, ibique Anaſtaſio Caeſare in proceſſibus degente Areobindam ſibi imperatorem fieri clamitant, imaginibusque deinde ſtatuiſq; Anaſtaſii in terram deiectis Celerem, & Patricium ſenatores ad ſe ſupplicandi ſibi uel ſatisfaciendi gratia miſſos, iactis pluuiae inſtar lapidibus reppulerunt, domibus Marini, & Pompei ſuccenſis. In circum ad Anaſtaſium uenientes, & ante ſuum ſolium conſiſtentes, hymnum trinitatis iuxta morem Catholicum concinentes, choruſcansque euangelium, crucemque Chriſti ferentes, è foro plurimi conuenerunt, Marinum, Platonemque prauitatis eius auctores ferro ſubijci debere conclamantes. Hos ciues idem Anaſtaſius Caeſar ſolitis periurijs, ſimulatiſque uocibus ſaepe factorum cuncta promittens, tertio die quam in forum aduenerat, ſine ullo rerum effectu ad ſua fecit habitacula repedare. Porrò redintegrata Anaſtaſius prauitate, infamem & irridendam ſynhodum apud Sydonem ciuitatem (cuius de nomine ridicula nomina praeponuntur) LXXX.

fermè

fermè perfidorum epiſcopis congregatis aduerſum Orthodoxorum epiſcopos, fieri imperauit.
Flauianus Antiochiae catholicus patriarcha, & Ioannes Paltenſium oppidi pontifex, quoniam
hunc coetum ſacrilegum refellerunt; in caſtellum quod Petra dicitur exules miſſi ſunt, ibi Fla
uianus confeſſor Chriſti in domino requieuit, Ioannem Iuſtinus Aug. mox imperator factus
reuocauit. Iiſdem fermè temporibus defectus ſolis contigit. Gens Erulorum in terram inque ci
uitates Romanorum iuſſu Anaſtaſij Caeſaris introducta

Indictione vi. Clemente, & Probo coss

Seuerus Eutychetis perfidiae, Anaſtaſio Caeſare uolente, ſedem Flauiani antiſtitis ex mona-
cho epiſcopus occupauit. Dorotheus Ancherae ciuitatis uenerandus antiſtes, & Anaſtaſio prin-
cipi propter unicam Orthodoxorum fidem iugiter aduerſarius, finem uiuendi, quem ſibimet
miſſo contra ſe Magiſtriano ipſe praedixerat, in dicto tempore fecit

Indictione vij. Senatore ſolo coss

Vitalianus Scytha aſſumpto Romanorum equitum in triduo congregatorum auxilio, in locũ
qui Septimus dicitur, aduenit: ibique caſtra metatus eſt, diſpoſitisque a mari in mare ſuorum
ordinibus, ipſe ad portam, quae aurea dicitur, ſine ullius acceſſit diſpendio, ſcilicet pro Ortho
doxorum ſe fide, proque Macedonio urbis epiſcopo in caſſum ab Anaſtaſio principe exulato,
Conſtantinopolim acceſſiſſet aſſerens. Porro Anaſtaſij ſimulationibus atque periurijs per Theo
dorum internuntium illectus atque illuſus VIII. die quam urbem acceſſerat, remeauit. Hinc
Odyſſum Maeſiae ciuitatem Vitalianus pernoctans aſtu ingreſſus eſt. Cyrillum loquacem ma-
gis quam ſtrenuum militiae ductorem inter duas pellices Vitalianus reperit dormientem, eũque
mox abſtractũ cultro Getico iugulauit, hoſtemque ſe Anaſtaſio Caeſari palã aperteque exhibuit

Indictione viij. Anthemio, & Florentio coss

Romanae eccleſiae L. Hormiſda epiſcopus ordinatus uixit annis IX. Item Vitalianus eidem
Anaſtaſio imp. immanior factus eſt inimicus, praemiſſis ſuorum equitibus armatisque nauiculis
ſiniſtro ſibi litore decurentibus, ipſe peditum armis ſtipatus Siſtinẽſam praedium ingreſſus eſt,
totiusque loci palatium habuit manſionem: miſſi ſunt ad Vitalianum ſenatores qui pacis eũ eo
leges componerent, nonaginta auri pondera exceptis regalibus muneribus pro pretio tunc aece
pit. Hypatij iam mille centum auri libris cum Huranio captiuo ſibi a ſuis in Zotopoli oblatis,
magiſter militum Vitalianus per Thraciam factus, Hypatium quẽ captiuum catenatumq; apud
Acres caſtellum tenebat, reuerſus ſuo remiſit auunculo. Hac tempeſtare Hunni Armenia tranſ-
miſſa totam Cappadociam deuaſtantes uſq; ad Licaoniam perrexerunt. Ariadne Auguſta LX. in
palatio exactis annis uita deceſſit

Indictione ix. Petro ſolo cos

Mutata fide Anaſtaſius imp. Vitaliano ſuccedit, idemque Rufinum deſtinat ſucceſſorem. He
lias Hieropolitanae urbis epiſcopus in uilla quae Habyla dicitur ab eodem principe relegatus
emoritur. Laurentium praeterea Lycidenſem, Alchyſum Nicopolitanum, Gaianum Naiſita-
num, & Euangelum Paulitalienſem, catholicos Illyrici ſacerdotes, ſuis Anaſtaſius praeſenta-
ri iuſſit obtutibus, Alchyſus, & Gaianus epiſcopi apud Byzantium uita defuncti ſunt, Dom-
nione & Euangelo ad ſedes proprias, ob metum Illyriciani catholici militis, extemplo remiſ-
ſis, ſolus Laurentius Anaſtaſium imp. in palatio pro fide Catholica ſaepe conuincẽs, apud comi-
tatum ac ſi in exilio relegatus, retentus eſt, mobiliorque corpore deinde quam Conſtantinopo-
lim aduenerat, effectus eſt. Nam ſeptimo infirmitatis ſuae anno idem Laurentius fide ſua & Chri
ſti gratia, in atrio Coſmae & Damiani ſanatus eſt, pedibus ſiſtere proprijsque greſſibus meruit
confirmari, ſuaeque dein patriae reddi, ubi maior octogenario requieſcit

Indictione x. Anaſtaſio, & Agapeto coss

Olla illa quae in Hieremia uate ab Aquilone aduerſum noſtra delicta ſaepe ſuccẽditur, tela igni
ta ſabricata eſt, maximamque partem Illyrici ijſdem iaculis uulnerauit. Duae tunc Macedoniae,
Theſſaliaque uaſtata eſt, & uſq; Thermopylas ueteremque Epyorum gentem, equites deprae-
dati ſunt, mille tunc librarum auri denarios per Paullum Anaſtaſius imp. pro redimendis Roma
norum captiuis Ioanni praefecto Illiryci miſit, deficiente pretio, uel incluſi, ſuis cum domum-
culis captiui Romani incenſi ſunt, uel pro muris clauſarum urbium trucidati

Indictione xi. Magno, & Florentio coss

In prouincia Dardania aſſiduo terraemotu XXIIII. caſtella uno momento collapſa ſunt. Quo
rum duo ſuis cum habitatoribus demerſa, IIII. dimidia aedificiorum ſuorum hominumq; amiſ-
ſa parte, XI. tertiae domorum, totidemque populi clade deiecta, VII. quartae tectorum ſuorum,
tantaque plebis parte depreſſa uicinarum metu ruinarum deſpecta ſunt. Scupus nanque metro-
polis licet ſine ciuium ſuorum olim hoſtes fugientium clade, ſunditus tamen ruit, plurimi totius
prouinciae montes hoc terraemotu ſciſſi ſunt, ſaxaque ſuis euulſa compagibus, deuolutarumq;
arborum

arborum crepido per XXX. paſſum longitudinem patens,& in XII. pedum latitudinem dehiſcẽs, profundam aliquantis uoraginem ciuibus, caſtellorum ſaxorumque ruinas uel adhuc hoſtium incurſiones fugientibus iuſſa parauit. Vno in caſtello regionis Caniſae quod Sarnonto dicitur, ruptis tunc terrae uenis, & ad inſtar torridae fornacis exaeſtuans diutius, altrinſecus feruentem imbrem euomuit. Anaſtaſius ſubita morte praeuentus maior octogenario periit, regnauit annos XXVII. menſes II. dies XXIX. Daras ciuitate huiuſcemodi condita in Meſopotamia (Daras quaedam poſſeſſio LX. ab Amyda ciuitate milliaria ad Auſtrum ſita & XV. millibus a Niſibino oppido ad occaſum diſtans) Amydenſi eccleſiae reditum penſauit. Huius ergo humilis uillae caſas Anaſtaſius imp. ob condendam ibi ciuitatem dato precio emit, miſſiſque continuo pro fabris cõſtrui praecepit: Calliopium deinde Antiochenae urbis patricium huic operi praefecit, nempe hic in colle in planitem deſinente mira ſagacitate ob fundamenta locanda ſulcum ſarculo deſignauit, muriſque firmiſſimis facie tenus conſummatis undique texit, riuum quoq; qui ex praedii nomine iuxta quod naſcitur, Cordiſſus nominatur, ſerpenſque per murmura DV. milliariis eundem collem nouamque diuidit ciuitatem, conceſſo utrique oſtio prolabentem incluſit. Publicis praeterea moenibus decoratae ciuitati priſtinum nomẽ uillae reliquit. Ingens huius frontiſpicio ciuitatis, in aeditiori loco conſtructa muriſq; continuata turris Herculea nomine dicta ſuſpicitur, Niſibinum ad orientem, Amydam Aquilonem reſpiciens

Indictione xii. Iuſtino Aug. & Euthario coss

Iuſtinus imp. creatus. Amantius Palatii praepoſitus, & Andreas cubicularius, uterque regni eius inimicus in inſula decapitatus eſt. Vitalianus Scytha urbem data acceptaque fide accitus ingreditur, ſtatimque magiſter militum ordinatur

Indictione xiij. Vitaliano, & Ruſtico coss

Vitalianus his coss VII. menſe conſulatus ſui XVII. uulneribus confoſſus, in Palatio cum Celeriano & Paullo ſatellitibus interemptus eſt

Indictione xiiij. Iuſtiniano, & Valerio coss

Famoſiſſimum hunc conſulatum Iuſtinianus prae conſulibus omnium orientalium, utilitatibus edidit, Nam CCLXXXVIII. ſolidorum H-S. libera conſulum profecta munificentia in populũ, inq; ſpectacula, ſiue ſpectaculorũ machinam diſtributa ſunt XX. leones XXX. pardos, exceptis alijs feris, in amphitheatro ſimul exhibuit. Numeroſos praeterea phaleratoſq; in Circo caballos iam donatis quoque impertiuit aurigis, una duntaxat ultimoque mappa inſauienti populo denegata

Indictione xv. Symmacho, & Boetio coss

Indictione i. Maximo ſolo cos

Indictione ij. Iuſtino ij. & Opilione cos

Inopia olei magnam penuriam in populum importauit

Indictione iij. Filoxeno & Probo coss

Ioannes Romanae eccleſiae papa LIII. a Petro Apoſtolorum pontificumque praeſule, CCCCLXXXV. ſeſſionis eius anno, Theoderico rege pro Arrianorum ſuorum caeremonijs reparandis laborante, ſolus duntaxat Romanorum ſibi deceſſorum, urbe digreſſus Conſtantinopolim uenit, & miro honore reſumptus eſt. Dexter dextro eccleſiae inſedit ſolio, diemque Domini noſtri reſurrectionis plena uoce Romanis precibus celebrauit

Indictione iiij. Olybrio ſolo cos

Totam Antiochiam Syriae ciuitatem repens inter prandentium ora terraemotus inuaſit, alioquin occiduam urbis magnamque eius partem, ſiniſtris mox uentis ubique flantibus, flammas que coquinarum pro tempore aeſtuantes ruentia in aedificia miſcentibus, duplex torridumque exitium importauit. Eufraſium quoque loci huius urbis epiſcopum adempto eius capite, combuſto ſimul obruit ſepulchro, obeliſco Circi inuerſo & humi defoſſo

Indictione v. Mauortio ſolo cos

Anno regiae urbis conditae CXCVII. Iuſtinus imperator Iuſtinianum ex ſorore ſua nepotem iamdudum a ſe nobiliſſimum deſignatum regni quoque ſui ſucceſſorem creauit Kal. Aprilis, ipſe uero quarto ab hoc menſe uita deceſſit, annis imperatis IX. menſibus II

Indictione vi. Iuſtiniano Aug. ij. ſolo cos

Anno regiae urbis conditae CXCVIII, regium ueſtibulum, priſcumque in eo ſolium ob aſpicienda probandaque in Circo certamina ſtructum, uictor Iuſtinianus princeps, eminẽtius clariusque quam fuerat, & utranque Senatorum ex more ſpectantium porticum ſolita magnanimitate redintegrauit, bonis quidem agitatoribus praemium, ignauis autẽ ſeueritatem inuuens

Indictione vij. Decio ſolo cos

Indictione viii. Lampadio, & Oreſte coss

Mundo Illyricianae militae ductor utriuſque, dudum quidem Getis Illyricum incurrentibus primus

primus omnium Romanorum ducum Incubuit, eosque hand paucis Ipſorum interemptis fuga uit. His autem deinde Coss. idem diu audacia ſua ſecundus in Thraciam quoque aduolans,prae dantes eam Bulgaros feliciore pugna cecidit, quingentis eorum in praelio trucidatis

Indictione ix. P.C. Lampadii, & Oreſtis coss

His Coss. Codex Iuſtiniani orbi promulgatus eſt

Indictione x. item P.C. Lampadii & Oreſtis coss

Hypatius, Pompeius, & Probus genere conſobrini, diuique Anaſtaſij nepotes, imperium quod ſibi ſinguli indigna ambitione exoptantes, Idib. Januar. iam pleriſque nobilium coniuratis, omnique ſeditioſorum turba armis donisque miniſtratis illecta, dolis inuadere tentauerunt, atque per quinque dies continuos urbem Regiam rapinis, ferro, igneque per ſceleratos ciues ſine certo interrege diſcurſantes hoſtili impietate, ipſi le fideles reip. in Palatio diſſimulantes, de populati ſunt. Quinta uero huius infandi ſceleris die dum de foro Hypatius ſceleratorum comitatum manibus torque redimitus aureo, & Pompeius comes ſua ſub ueſte loricatus ad inuadendum tenendumque aſcendunt palatium, uterque eorum ante fores palatij captus eſt, ſtatimque pijſſimi principis noſtri nutu catenatus trucidatusque poenas luit, & ante imperium perdidit quam haberet, innumeris paſſim in circo populis trucidatis, & tyrannorum ſocijs continuo proſcriptis. Eccleſiam incenſam tunc mox coepit idem Auguſtus renouare

Indictione xi. Iuſtiniano iii. cos

Poſt diuturnum immanemque laborem contra Medos Romanis geſtum ſudoribus, tandem per Rufinum patricium, perque Hermogenem magiſtrum officiorum, utrumque legatum a principe noſtro miſſum, pax cum Parthis depacta eſt. Sponſionem percuſſi foederis ab utroque imperatore, inuicem ſibi munera in concordiam miſſa ſecuta ſunt

Indictione xii. Iuſtiniano Aug. iiii. & Paullino coss

Prouincia Africa quae in diuiſione orbis trerrarum a pleriſq; in tertia parte poſita eſt, uolente deo uindicata eſt. Carthago quoque ciuitas eius, anno exceſſionis ſuae XCVI. pulſis deuictisq; Vandalis, & Gilimere rege eorum capto, & Conſtantinopolim miſſo, quarto Iuſtiniani principis cõſulatu ipſius moderatione recepta eſt, ſuaq; cũ patria firmius quam dudũ fuerat, redintegrata. Quo tempore Theodahatus Gothorum rex Amalaſuntham reginam creatricem ſuam de regno euulſam in inſula lacus Vulſini occidit, cuius mortem imperator ut doluit, ſic eſt ultus

Indictione xiii. Beliſario V.C. ſolo cos

Poſtquam Carthago Lybiaque ſuo cum rege Gilimere per Beliſarium eſt ſubiugata, de Roma Italiaque deliberauit Imperator, iterumque expeditio, iterum claſſis paratur, idemque ductor qui conſul eligitur, rectoque nauigio in Siciliam properat, Catinam & Syracuſas ſine mora, immo omnem peruadit Trinacriam, ibique comperiens quod in Africa ciuile bellum exoritur, & miles in proprium ducem inſurgit, cum paucis ad Africam tendit, Solomoni qui praeerat ſubuenit, exercitum uero partim blandiendo, partim ulciſcendo inimicum tyrannum effugando, reip. conſulit utilitati, remenſoque nauigio Trinacriam redijt. Agapitus LIII. Romanae vrbis epiſcopus a Theodahato rege Gothorum in legationem directus Conſtãtinopolim uenit. Trita patricius in Myſia cum hoſte Bulgarum congrediens ſuperior euadit. Epiphanius epiſcopus regiae urbis ante aduentum Romani praeſulis moritur, cuius epiſcopatum contra canones Anthemius Trapezauntina eccleſia relicta inuadit

Indictione xiiii. P. C. Beliſarii V. C

Ebremud Theodahati gener inducto exercitu regio in Bruttios ad Beliſarium euolauit. In Africa uero Solomoni, identidem cum exercitu diſſidenti Germanus ſuccedit, Solomonem remittens ad principem. Beliſarius Campaniam uaſtans Neapolim tranſijt, Gothorum exercitus Theodahatum habens ſuſpectum, Vitigem in regnum aſciſit, qui mox in campo Barbarico regnũ perdit, expeditione ſoluta Romam ingreditur, ubi iam Agapito CP. defuncto Theodahatus rex Siluerium in epiſcopatũ ſubrogat, ibique reſidens dirigit Rauẽnam. Vitiges Theodahatũ occidit in loco qui dicitur Quintus, iuxta fluuium Salernum, & ipſe ſubſequitur per Tuſciam omnes opes Theodahati diripiens quae in inſula uel in urbe Veneta congregauerat, Rauennam ingreſſus Mateſuintam neptem Theoderici regno pulſam ſibi ſociam copulat. Quam ob rem Beliſarius domino fauente Romam ingreditur. Germanus in Africa feliciter adminiſtrat. Agapitus ut diximus Conſtantinopolim de Roma adueniens, Anthemium mox eccleſia pellit, dicens eum iuxta eccleſiaſticam regulam adulterum, qui ſua eccleſia dimiſſa ambierat alienam, in cuius locum Menam presbyterum epiſcopum ordinauit, & ipſe extremũ diẽ obiit in domino. In nul lo tamen ſicut ei a principe immaniſſimo obiectum erat, ſentiens contra fidem. Ipſo autem illo anno ob nimiam ſiccitatem paſtura in Perſide denegata, circiter XV ∞. Sarracenorum ab Alamundaro & Coonchabo Heziduzilartis limites Euphratis ingreſſa, ubi Barſeas dux eos partim blandit

blanditiis,partim diſtractione pacifica fouit, & inhiantes bella repreſſit

Indictione xv.Iterum P.C.Beliſarii V.C

Vitiges tyrannus exercitu aggregato Romam obſidet, cui tunc fauentem papa Siluerium Beliſarius ab epiſcopatu ſubmouit, & loco eius Vigilium diaconum ordinauit,temporeque longo Romam obſidente Vitige,Beliſarius intus inedia laborans Vigilii auxilium ab imperatore de poſcit, cui directi ſunt Martianus, & Valerianus, vterque magiſter militiae. Nec ſic tamen Vitiges obſidionem reliquit. In Africa Germanus rebellionem militum cum Stroza tyranno inter Maurorũ deſerta bellando effugat. In oriente quoque Ioannes Scotiſtis aripiens tyrannidẽ, antequam aduerſi quicquam tentaret Daras extinctus eſt. Eccleſia maior Conſtantinopoli ab imperatore Iuſtiniano ſingulariter in mundo conſtructa, die V.Kal.Ianuari, Indictione prima

Indictione i. Ioanne V.C. ſolo cos

Indictione ij. Appione V.C.ſolo cos

Indictione iij. Iuſtino iuniore V.C. ſolo cos

Indictione iiij. Baſilio V.C. ſolo cos

Indictione v. P.C.Baſilii V.C

Indictione vi. Iterum P.C.Baſilii V.C

Totila vaſtat Campaniam, vrbesque muratas euertens per ſuos Tiburi obſidet. Mortalitas magna Italiam deuaſtat, orientem, iam & illyricum peraeque attritos. In oriente iam Perſeis adhuc tenentibus conflictum cum noſtris, Sergius in Africa inquietatur a rebellibus cum Stroza & Mauris *Indictione vii.& Iterum.P.C.Baſilii V.C*

Indictione viii.IIII.P.C.Baſilii V.C

Indictione ix.V P.C. Baſilii.V.C

Vigilius papa LVIIII.ab apoſtolo Petro euocatus ab imperatore Roma egreditur,& in Siciliã uenit, Totila occupata Lucania, & Bruttiis, Romam obſidet, De Africa Sergius euocatur, & Areobinda nepte imperatoris accepta ibi iudex dirigitur. In oriente foedus cum parthis initur per Conſtantinum magiſtrum militiae; & exercitus reuertitur Conſtantinopolim

Indictione x.VI.P. C. Baſilii. V.C

Gothi legationem mittunt ad imperatorem per epiſcopum ciuitatis Aſſiſinatiũ nomine Auerratium. Ioannes magiſter militum ad Italiam pergit. Beliſarius a Rauenna egreſſus uenit ad Dyrrachium, indeque directo Ioanne,Calabria,ipſe per Siciliam Romam perexit. Papa Vigilius ingreſſus eſt Conſtẽtinopolim VIII.Kal. Februari. Totila dolo Iſaurorum ingreditur Romam die XVI.Kal.Ianuarii, ac euertit muros,domos aliquantas igni comburens, ac omnes Romanorum res in praedam accepit, hos ipſos Romanos in Campaniam captiuos abduxit. Poſt quam deuaſtationem XL. aut amplius dies Roma fuit ita deſolata, ut nemo ibi hominum niſi beſtiae morarẽtur. Hinc ueniens Beliſarius murorum partem reſtaurat,uenienteq; Totila ad pugnam reſiſtit Eodemq; anno de Africa neptis Imperatoris reuertitur uidua occiſo Areobinda a Gunthario tyranno, qui cum Stroza iuniore tractus eum occiderat, ſed Artabanis utrosque comprehenſos Gunthariũ occidit,Ioannem idem Strozam iuniorem uinctum tranſmittit ad principem. Poſt aliquantos dies mittitur in Africã Ioannes, & Artabanis uocatus praeſentale accepit magiſteriũ

Indictione xi. vii. P.C. Baſilii. V.C

Indictione xii. viii. P.C. Baſilii V.C

Indictione xiii. ix. P.C. *Baſilii V.C*

Indictione xiiii. x. P.C Baſilii V.C

His temporibus in Africa Mauri per Ioannem patricium domiti ſunt

Indictione xv. xi. P.C Baſilii

Hoc tempore Iuſtinianus Auguſtus Narſem eunucum cartularium, & cubicularium ſuum principem militiae fecit, & in Italiam miſit, qui commiſſa pugna dei gratia uictor Totilam occidit, & gentem Gothorum auxiliantibus etiam Longobardis, in Italia exterminauit. Per haec tempora cum Buccelinus comes cum ſociis a Theodeberto rege Francorum dudum miſſus, per annos aliquot Italiam, Siciliamque infeſtaret, & Romanum ſaepe exercitum ſuperaret tandem exercitus eius profluuio uentris attritus a Narſe pugna uictus, & profligatus ipſe dux occiſus eſt, nec multo poſt ſocius eius Omnirugus dux cum reliquis Gothorum quibus ſe iunxit peremptus eſt *Indictione prima.xii. P.C. Baſilii V.C*

Theodebaldus Francorũ rex moritur& regnũ eius uxoremq; Vanderadã Hlotharius rex patris eius Theodeberti patruus accepit,qui iam XLIIIL annis regnabat,quo ipſo ann.Hlotharii ipſe Saxones rebellãtes iuxta Vuiſerã fluuiũ magna caede domuit,& Thuringiam peruaſam deuaſtauit

Indictione ii.xiii. P. C. Baſilii V.C

Vigilius papa tandem ab imperatoribus Romanis,& Narſe de exilio relaxatus, cum Romam redire

redire coepiſſet in Sicilia morbo calculi tactus deceſſit, moxque Romam perlatus apud S. Marcellum in uia Salaria ſepultus eſt; pro quo ordinatus Pelagius papa LXII. ſedit annis XI. menſibus X. qui a pop. Rom. factionis contra Vigilium incuſatus, celebratis una cum Narſe letaniis apud S. Petrum ambone aſcenſo, euangelioque ſuper caput ſuum poſito, iuramento ſe crimine purgauit

Indictione iii. P. C Baſilii. V. C. xiiii

Hoc tempore Saxones iterum Hlothario rebellantes cum ab eo peterentur hoſtiliter, eique pro ſatiſfactione dimidium rerum ſuarum offerrent, idque exercitus Francorum refutatus eo inuito pugnaſſet, magna ab eis caede protritus, fugae praeſidium petiit

Indictione iiii. xv. P. C. Baſilii V. C

His diebus Chriſtianus patre ſuo Hlothario annitente patruo Hildeberto rebellans, regnum Francorum ſeditione perturbat, Saxones factione Hildeberti in Francia praedas egerunt. Hildebertus Remenſem Campaniam populatur

Indictione v. xvi. P. C. Baſilii V. C

In Britannia Bridus rex Pictorum efficitur. Hildebertus rex Francorum circa haec tempora moritur, & Pariſius in baſilica S. Vincentii a ſe conſtructa ſepelitur, regnumque eius frater Hlotharius aſſumens totam paterni regni monarchiam obtinuit

Indictione vi. xvii. P. C. Baſilii V. C

Chriſtianus patrem Hlotharium quem multis malis offenderat, hoc tempore in Britanniam fugiens, inſequente eo ibidem cum Conoboro rege pugna victus, & captus cum vxore & filiabus uiuus incenſus eſt. Quo etiam tempore Turonis baſilica S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematur

Indictione vii. xviii. P. C. Baſilii V. C
Indictione viii. xix. P. C. Baſilii V. C
Indictione ix. xx. P. C. Baſilii V. C
Indictione x. xxi. P. C. Baſilii V. C
Indictione xi. xxii. P. C. Baſilii V. C
Indictione xii. xxiii. P. C. Baſilii V. C
Indictione xiii. xxiiii. P. C. Baſilii V. C
Indictione xiiii. xxv. P. C. Baſilii V. C

Collectio omnium annorum iſtius chronici. Colliguntur omnes anni uſq; ad conſulatum Valentis VI. & Valentiniani Iun. Augg. primum, a XV. anno Tiberii, & praedicatione domini noſtri Ieſu Chriſti anni CCCLI

Ab an. Darii regis Perſarũ, quo tẽpore templũ Hieroſolymis inſtauratũ eſt anni DCCCXCIX

Ab olympiade prima, qua aetate apud Hebreos Eſaias prophetabat anni ∞ CLV

A Solomone, & prima aedificatione templi anni ∞ CCCCXI

A captiuitate Troiae, quo tempore Sanſon apud Hebreos erat, anni ∞ DLXI

A Moyſe & Cecrope primo rege Atticae anni ∞ DCCXC

Ab Abraham, & regno Nini, & Semiramidis anni ∞ ∞ CCCXCV

A diluuio uſque Abraham ſupputantur anni DCCCCXLII

Ab Adam uſque ad diluuium anni ∞ ∞ CCXLII

Fiunt igitur ab Adam uſque ad XIIII. Valentis annum, ideſt uſque ad conſulatum eius VI. & Valentiniani iunioris omnes anni ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ DLXXIX

A Valente VI. & Valentiniano Iuniore uſque ad conſulatum Eudoxii colliguntur LXIIII. anni. Et per hoc a XV. Tiberii anno, quo dominus praedicare coepit ad cõſulatum Eudoxii & Dioſcori ſunt anni CCCCXI

A Troiae excidio uſque ad primam olympiadem anni ſunt CCCCVI

Item a Troiae excidio uſque ad conſtructionem vrbis Romae anni CCCCXXXVI

Quae condita eſt a Romulo VII. olympiadis anno ſecundo, Qui XVII. ab Aenea regnauit

Ab urbe Roma condita uſq; ad aduentũ domini an. DCCLII. Et ab eadem conditione uſq; ad paſſionem domini anni DCCLXXI. Et a paſſione uſq; ad conſulatũ Euſtachii anni CCCXCII

Simul ab urbe condita uſque ad praedictum conſulatum colliguntur anni ∞ CLXXV. vſq; ad conſulatum D. Theodoſii XV. anni ∞ CXXCIX

A morte Caeſaris uſque ad conſulatum Theodoſii XV. fiunt anni CCCCLXXXVI. Paſſus eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus a conſtitutione mundi poſt annos ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ CCXXIX

Euſebius ponit ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ ∞ CXXX. ſi numeri non ſunt tranſpoſiti


Ab Abraham autem uſque ad paſſionem domini anni ſunt ∞ ∞ XLIIII. Idem Euſebius libro temporũ ubi agit de paſſione domini. A paſſione domini uſq; ad conſulatũ Euſtachii anni ſunt CCCXCIIII. Et uſq; ad conſulatum D. N. Theodoſii Aug. XV. anni ſunt CCCCIX

FINIT. CHRONICON. MARCELLINI. COMITIS. V. C

ONVPHRII · PANVINII VERONENSIS . FRATRIS EREMITAE . AVGVSTINIANI

DE . LVDIS . SAECVLARIBVS LIBER

CVM . PRIVILEGIIS



VENETIIS
In Officina Eraſmiana, apud Vincentium Valgriſium
M D LVIII

ONVPHRIVS . PANVINIVS

VERONENSIS . FRATER . EREMITA AVGVSTINIANVS

ACHILLI . MAFFEO . HIER . F . S . S . BASILICAE PRINCIPIS . APOSTOLORVM . CANONICO

S . P . D

INTER multa quae in vniuerſa antiquitate Romana cognitu digna fuiſſe animaduerti Achilles vir optime,& omnium antiquitatum conquiſitor ac conſeruator diligentiſſime, non poſtremum locum tenet ludorum ſaecularium tractatio, quae & ad temporum rationem digerendam, & ad veterum monumentorum interpretationem quam maxime vtilis eſt & neceſſaria; praeſertim uero quum in ea multa & recōdita antiquitatis Romanae monumenta,ante non admodum cognita,contineantur. Quem laborem tum ob has ipſas cauſſas ſuſcepi,tum quod eos ludos in tabulis M.Verrij Flacci Capitolinis, quarum reſtitutionem aggreſſus ſum,exaratos fuiſſe animaduerterim. Cuius praeſidio ſubleuatus,vniuerſam temporum Romanorum rationem accuratiſſime explicarem,& diſtinctius alijs aperire poſſem. Quibus cognitis,omitto quod nobiliſſimum totius veteris illius reip. arcanum intelligetur,multa quoq; veterum nummorum,inſcriptionum,&librorum obſcura loca illuſtrari poterunt,& explicari. Cui demum propter argumenti ſimilitudinem,quae quinquennio ante de Sibyllis,& carminibus Sibyllinis edidi, adiungere curaui, remque totam illam non minus priore obſcuriorem quantum mea diligentia conſequi potui, in lucem produxi. Quod opus quum ad iuſti libelli ſummam perduxerim, id ſeorſum a commentariis in Faſtos conſulares concinnaui, eorum qui legent commodo, & huius voluminis decori conſulturus,in quo eos omnes auctores digeſſi,quorum potiſſimum opera, meos Faſtorum libros conſcripſerim. Quos eandem ob rationem Faſtorum commentariis non adiunxi. Hunc porro librum Achilles vir praeſtantiſſimae, vt in tuo potiſſimum nomine exire in vulgus vellem, quum res ipſa tua cognitione non indigna,tum ſumma mea in te obſeruantia, & tua fratriſque tui uiri optimi,& praeſtantiſſimi Bernard. Cardinalis erga me non vulgaria officia,adduxerunt. Qui unus ex his precipue fuit, quibus auctoribus, me ad res Romanas ueteres obſeruandas, & ex omnibus antiquorum monumentis colligendas initio dedi. Cui ſi quid

didici, ſi quid in hiſce ſtudiis profeci, acceptum refero. Fuit enim vir ille magnis in eccleſiam Chriſti meritis clarus; prudentia, bonitate, & pietate in deum maxime admirabilis; recti atque honeſti in primis cultor; pro borumque & doctorum hominum amantiſſimus. Quo quum nemo virtutem magis diligeret, tum nemo fuit qui diligendam eam, & amplectendam eſſe magis iudicaret. Cuius importuna morte erepti locum & perſonam tu unus apud omnes doctos viros ſuſcepiſti, quem ut genere, ita virtutibus, doctrina, & humanitate refers. Suſcipe ergo hoc munus & ſi perexiguum non leue tamen meae veteris erga te obſeruantiae ſignum, eo animo, quo meipſum pro tua humanitate amplecti ſoles. Quod pro tua ſingulari benignitate, & te facturum, & ad multo maiora molienda me ipſum impulſurum, mihi ipſi maxime perſuadeo

Vale Venetiis Kal. Iulis

∞ D L V I I I

ONVPHRII . PANVINII . VERONENSIS

FRATRIS . EREMITAE , AVGVSTINIANI

DE . LVDIS . SAECVLARIBVS

LIBER

LVDORVM Saecularium tractationem,ob uarias & inter ſe diſſentientes ueterum ſcriptorum, qui de ipſis aliquid litterarum monumentis tradidere, ſententias, rem inter omnes quae ab antiquis unquam geſtae ſinr, cognitu difficillimam eſſe, neminem antiquitatum ſtudioſum exiſtimo eſſe, qui ignoret. Quapropter tum ob eam rem, tum quod etiam in tabulis Capitolinis, eorundem mentionem fieri, ex aliquot fragmentis animaduerti,neceſſe mihi uiſum eſt, quid de ſaecularibus ludis a ueteribus traditum ſit, paulo latius diſſerere, quandoquidem etiam haec Faſtorum conſularium pars non minima fuerit, & res ipſae cognitu in primis memorabiles eſſe uideantur. Quamquam autem a recentioribus carptim multa de ipſis hinc inde ſcripta ſint, & praeſertim in miſcellaneis ab Angelo Politiano, non tamen ſatis diligenter omnia collecta fuiſſe cognoui, & maxime ad eorum cognitionem neceſſaria. De iisdem igitur accuratius diſputandum eſſe duxi;quod nunc ego antiquorum monumentorum, lapidum & nomiſmatum,ac ueterum ſcriptorum auxilio, facere aggrediar. Quae autẽ de ipſis explicanda propoſui,ex Varrone, Horatio, Valerio, Plinio, Floro,Cenſorino,Sex.Pompeio,Zoſimo, & aliis antiquis auctoribus collecta, haec ſunt. Ipſorum ludorum origo, quot nominibus appellati ſuerint, cur ſaeculares dicti, quot annorum ſpatio, quoties, & quo anni tempore inſtaurari ſoliti fuerint. Ad haec quo ritu, quibus caerimoniis, quibus locis, & quibus diis celebrati,quando deinceps, & quare apud antiquos fieri deſierint. Multa praeterea alia referam, quae rem ipſam maxime exornatura ſunt. Quibus deinde, quod idem propemodum eſſet argumentum,alium librum adiunxi, quem de Sibyllis & carminibus Sibyllinis conſcripſi, rem iocundam, vtilem, & antiquitatum ſtudioſis cognitu neceſſariam. In quo quid, & quot Sibyllae,aut carmina Sibyllina fuerint a me accurate explicatum eſt

De origine itaq; ludorum ſaecularium ut altius repetam, haec ab antiquis hiſtoricis, & praeſertim a Zoſimo in ſecundo hiſtoriarũ libro fermè traduntur. Tullo Hoſtilio Romae, & Mettio Suffettio Albae imperantibus, quum bellum anceps, & pernicioſum inter ſeſe Romani Albanique gererent, & amborum acies iam iam concurſurae ſtarent, ad caedemque paratae eſſent, ecce ſpectrum quoddam uiſu mirabile, derepente apparuit, quidam ſcilicet monſtruoſa ſpecie, atraque pelle amictus, alta uoce clamitans, ut ab omnibus exaudiri poſſet: iubere Ditem patrẽ, deamque Proſerpinam,priuſquam manus conſererent inter ſe ambae acies, ſub terra ſacrum ſibi fieri; hiſque dictis monſtrum euanuit. Hoc agitur Romani terribili prodigio territi, in vrbem mittunt, qui aram ſub terra conderent, in eo loco, qui poſtea campus Martius appellatus eſt, non longe a fluminis alueo, ubi ſacrificio ritè ut iuſſum fuerat peracto, aram ipſam pedum uiginti aggere obtexerunt,ut illa omnibus quibuscũque (Romanis ipſis exceptis)incognita eſſet.Quo etiam daemonum praeſtigio factum crediderim, ut bellum id tergeminorum pugna tranſigeretur, qua Romani incruenta uictoria de Albanis potiti ſunt, Orco ſcilicet, & Perſephone inferis diis placatis. De hoc bello Liuius libro primo; & libro tertio Dionyſius mentionem faciũt. Locus autem ille, ubi ara abſconſa fuit, Terentum tum appellabatur, quod quum haud procul ab amnis ripa eſſet, & quidem mollius ſe flectente Tiberi, amnium more, eo loco ripam molem terreret, ex quo etiam Rumen dictus Tiberis a ueteribus,& in ſacris Seres nominatus,quod ruminaret, hoc eſt exaederet, & ſecaret ripas: unde ait Virgilius

Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem

Alii vero Terentum tum dici coeptum exiſtimant locum illum, quod ara Ditis patris eo loco ſub terra occuleretur, ut auctor eſt Sex. Pompeius. De Terento meminit Statius ſiluarum libro primo, & quarto. Haec autem ara cum diu latuiſſet, eiuſque memoria longa temporum intercapedine, etiam apud Romanos ipſos iam obſoleuiſſet, miro quodam modo poſtea deorum iuſſu, ſiue daemonum ludificationibus, ſic reperta eſt.

Quum ingenti peſtilentia, ſub rege Ser. Tullio vrbs antiqua, agrique vaſtarentur, Voluſus Valeſius (ut tum dicebatur) a quo Valeria familia originem habuit, vir locuples, & ut illo tempore erant optimi quique, ruſticanae vitae, jn Sabinorumque gente praeclarus, Romae quoque ob dignitatem notus, aram hanc de qua ſupra dixi, ita diuinitus inuenit. Erat ei nemus ante domum, maximis arboribus conſitum, quibus fulmine ictis, quum ſtatim conflagraſſent, Voluſus ipſe dubitare, triſtarique, & quo haec monſtra, prodigiaque tenderent animaduertere. At non multo poſt peſtilentiae morbo, quae tum maxime in omnes deſaeuiebat, filii duo, filiaque correpti ad deſperationem uſque medicorum laborabant. Pater accitis haruſpicibus, rem omnem aperit, eosq; de filiorum ſalute conſuluit, quibus experientia multa edoctis, & ex ignis caſu coniicientibus, iram hanc eſſe deorum exponunt, deosque ſacrificiis placare Voluſum iubent. Voluſus autem quum multitudine ſacrificiorum nil proficeret, & in maximo metu cum uxore eſſet, filiique iam iam moribundi ſtarent, aquam calidam a ſoco iis petens, genibus innixus, Veſtam ceterosque lares familiares orauit, ut puerorum periculum in ipſius, matrisq; ſuae capita transferrent. Quibus dictis, quum ad nemus fulmine ictum reſpexiſſet, vox è nemore humana auguſtior audita eſt, habiturum eos ſaluos promittens; ſi continuo flumine Tiberi deuectos, Terentum portaſſet, ibique iuxta Ditis patris, & Proſerpinae aram, ex eorum ſoco calefactam de fluuio ipſo biberent aquam, quam illi deſiderarent. Vbi haec Voluſus audiuit Tarentum pro Terentum intelligens, filiorum ſalutem magis deſperauit, qnum quod longa, & periculoſa nauigatio imperabatur (longiſſime enim Tarentum abeſſe. ſ. in extrema Iapygia ſciebat) tum quod proxime eam vrbem, minime reperiri Tiberim ullum fluuium non ignorabat; malam praeterea ei ſpem afferebat aqua, quam in aris terreſtrium daemonum calefieri audierat. Super haec quoque quum haruſpices conſuluiſſet, dijs eſſe parendum ſtatim reſponderunt. Quare ſpe licet dubia praeſentem metum uincente, pueros ad Tiberis ripam protinus detulit; habitabat enim in uilla ſua quae ſita erat propè uicum Sabinae regionis, nomine Heretum, duodecimo ab vrbe lapide. Eis autem lintre impoſitis, Oſtiam ſecundo flumine contendens, nocte intempeſta, ad Martii campi regionem prope Romam appulit, ibi recreare ſitientes, & aeſtu, febrique laborantes ſuccurere cupiens, ſimulque ut nauigationis taedium leuaret, qua placidiſſime amnis labitur exponit in ſiccum aegrotos; ac dum tumultuarinm ſibi tuguriunı concinnit, extincto igniculo, admonetur a gubernatore; quem unde ignis peti poſſet conſuluerat, lintrem potius ad Terentum deducendam (nam ita locus appellabatur, qui haud longe aberat) ibique commorandum, etenim paſtoricium fumum illic, ſe ſe aſpicere dixit. Tum Voluſus laetior factus, audito Terenti nomine, quem in extrema Italia eſſe crediderat, deorum numina adorans & ſalutem liberorum iam iam propemodum certo ſibi ſpondens, illuc nauem adpelli iubet, exiſtimans de illo loco ſe eſſe diuina uoce admonitum. Quo quum perueniſſet omnia paſtoribus nuntiauit. Statimque arrepto calice aquam flumine proximo hauſtam, eò unde ſumus erat obortus, cupide iam laetior protulit, diuinitusque dati remedii, quaſi ueſtigia qnaedam in propinquo, ſe exiſtimans nactum, in ſoloque magis fumante, quàm ullas ignis habente reliquias, omine adprehenſo, contractis leuibus, & quae ſors obtulerat ignis nutrimentis, fumigans ſolũ, pertinaci flatu ſolicitat in flammam, calefactamque aquam, pueris bibendam calice porrigit; qua epota, ſuccedit ſomnus ſalutaris, in qno diutina morbi ui liberati, recuperata ualetudine ſurgunt; patrique renuntiant, uidiſſe ſe ſe per quietem, ſpongia a neſcio quo deorum corpora ſua attingi, morbumque detergeri, praecipique ut ad Ditis patris, & Proſerpinae aram, ex qua ipſorum potio calida facta fuerat, furuae mactarentur hoſtiae, lectiſterniaq; fierent, & ludi nocturni, perpetuis choris, carminibusque trinoctio celebrarentur. Valeſius autem tanquam alicuius deorum, qui haec facere iuſſiſſet, auctoritate permotus, eoque loci nullam aram uidens, deſiderari ratus, ut a ſe extrueretur, aram empturus, feſtinus in urbem properat, ſeruis relictis, qui fundamentorum iaciendorũ gratia, terram altè ad ſolidum foderent, ubi conlocaretur. Serui domini imperium exequentes, quum ad uiginti pedum altitudinem humo ruderibnsque egeſtis ſodiendo perueniſſent, aram quam dixi Ditis patris Proſerpinaeque inuenerũt. Hoc ubi Voluſus nuntiante ſeruo cognouiſſet, omiſſo emendae propoſito, quum quid ſibi agendũ, apertius edoctus eſſet, hoſtias nigras (quae tum furuae dicebantur) ut iuſſus fuerat ſuper ipſam aram mactauit, ludosque & lectiſternia, cum cantibus, choreis carminibusque continuo trinoctio, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit; liberis iam morbo ſolutis, mediaque de morte receptis. Haec autẽ omnia cũ ipſe regi Romano renuntiaſſet, eius iuſſu publicis populi Romani commentariis a. II. viris ſacrorum faciendorum diligentiſſime ſcripta fuerunt, locusq; ipſe in cãpo qui poſtea Martius eſt dictus, ara ſuper terram poſita notatus eſt, ne in poſterum propter longa temporis interualla, ut iam factum fuerat Romani eius obliuiſcerentur. Porrò autem hũc Voluſum Valeſium, exiſtimo fuiſſe Poplicolae, & M. Valerii patrem; qui deinde Voluſus Valeſius

leſius

leſius Terentinus appellatus eſt, a ſacrificio Diti patri Terenti facto. Qui qnum tertium filium poſtea genuiſſet, eũ in deorum Manium, qui de eo benemeriti fuerant, honorem, Manium Valerium appellauit; ſiquidem Romani inferos deos manes nuncupabant. Huic rei non modicam fidem addit, qnod ipſum Voluſum Valeſium, filios uero Publium Marcum & Manium uocatos fuiſſe, antiqua monumenta declarant. Quum hoc praeſertim Manii praenomen, nuſquam anti quius quàm in hoc Valerio reperiatur, ipſumque a diis manibus dictum referat Valerius libro decimo. Ex tribus quoque fratribus Manius natu minor fuit. Rei quoque geſtae tempus mirifice quadrat. Hoc igitur modo ludorum, qni poſtea ſaeculares dicti ſunt arae Terentinae Diti, Proſerpinaeq; conſecratae, & horum ſacrorum ritus, originem fuiſſe, Valerius Maximus libro primo, Zoſimus libro ſecundo, & alii ueteres auctores tradidere

De primis autem ludis ſaecularibns, ueteres inter ſe diſſentiunt auctores, Siqnidem Valerius Maximus, & Zoſimns, eos non longe poſt Voluſi Valeſii caſum a P. Valerio Poplicola primo cos. factos fuiſſe affirmant, atqne de eis in hunc fermè modum haec tradunt

Quum vrbs ipſa denuo graui peſtilentia uexaretur. P. Valerius eiuſdem Voluſi Terentini filius Poplicola, qni primo poſt reges exactos anno coſul fuit; ſtndio ſuccurrendi ciuibus, patris exemplum ſequutus, in Terento apud eandem ipſam (quam dixi) aram publicè nuncupatis uotis, atros ſeu furuos boues pro maribus Diti patri; pro foeminis uero concolores iuuencas Proſerpinae mactanit, lectiſternioque, ac ludis trinoctio ſactis, aram terra ut ante fuerat exageratam, occuluit, titulo ita addito

Idem ſcribũt Cenſorinus, & Plutarchus. Quãquã Cenſorinus hoc factũ ab eo eſſe in primo cõſulatu tradit, Plutarchus autẽ in quarto. Sic enim ait Cenſorinus: Primos ludos ſaeculares exactis regibus traditum eſt poſt Romam conditam anno CCXLV. a Valerio Poplicola inſtitutos eſſe. Plutarchus autem in quarto conſulatu Poplicolae deſcribendo ita ait: qunm morbus ciuitatem grauiſſimus inuaſiſſet, ita ut foetus perſectus nullus a mulieribus ederetnr, hic ex libris Sibyllinis & Ditem placauit, & ludis quibusdam qui oraculo traditi erãt reuocatis, depulſo morbo, ciuitatem in ſpem meliorem adduxit

P. VALESIVS
VOLVSI. F
POPLICOLA
IGNIFERVM. CAMPVM
DITI. PATRI. AETER
NAI. Q. PROSERPINAI
CONSECRAVEI. LVDOS
Q. EISDEM. DIEIS
POPVLI. ROMANI
SALVTIS. ERGO. FECEI

Hos itaque primos ludos, ex his qui poſtea ſaeculares dicti ſunt, fuiſſe, Valerius Antias, Valerius Maximus, Cenſorinus, & Zoſimus auctores ſunt, Voluſi Terentini exemplo factos, a quibus horum ludorum origo manauit. De his autem ludis trinoctio celebrari ſolitis, Auſonius in ternario numero ait

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo

& Martialis. Et quae Romuleus ſacra Terentus habet

Statius quoque Siluarum IIII. Quippe manet &cet

M. autem Varro libro primo de ſcaenicis originibus, aliter de primis ludis ſaecularibus loqui uidetur, ad hunc enim modum, eorum (ut arbitror) originem fuiſſe tradidit. Quum (inquit) multa portenta fierent, & mnrus, & turres, quae ſunt inter portam Collinam, & Eſquilinam, de coelo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos $\overline{X}$. niri adiiſſent, renuntiauerunt, uti Diti patri, & Proſerpinae, ludi Terentini in campo Martio fierent, tribus noctibus, & hoſtiae furuae immolarentur, utiq; ludi centeſimo quoque anno fierent. Sed haec potius de aliqua eorum inſtauratione, quam de origine dicta fuiſſe exiſtimo, ut paulo poſt diſſeram

Primos uero ludos ſaeculares, multis annis poſt reges exactos. Poplicolaeque mortem factus fuiſſe, $\overline{XV}$. uirorum commentarii, ut eſt apud Cenſorinum prodidere. Quod de re tam antiqua nemo mirari debet, quum de recentioribus qnoque ludis maxima inter ueteres ſit auctores controuerſia, de ſecundis enim, tertiis, quartisque ludis ſaecularibus, diuerſimode antiqui ſcriptores tradidere, aliique alio tempore eos factos eſſe affirmarunt, & non parum inter ſe diſſentiũt, quae omnia infra latius a me explicabuntur. Ego autem in tanta ueterum quidem, & probatiſſimorum ſcriptorum uarietate, quid ſentiam, non facile proferrem, niſi $\overline{XV}$. uirorum auctoritas ualde me moueret, tum quod penès eorum collegium, omnis publicorum, priuatorumque ſacrorum cura, praecipueque hornm ludorum reſtaurandornm ratio ſuere, ut auctor eſt Cornelius Tacitus libro undecimo, tum quod eorum ordinem ſequntum qnoque fuiſſe animaduerti M. Verrium Flaccum Faſtorum Capitolinorum auctorem. Sique quod Horatins in carmine ſaeculari, & libro ſecundo hiſtoriarum Zoſimus, multique alii ueteres ſcriptores memoriae prodidere

didere

didere uerum eſt, eos centeſimo quoque & decimo anno exacto reſtaurari ſolitos, nó poſſumus XV. virorum temporum rationi repugnare, ut infra demonſtrabo. Quorum auctoritati, etiam ſine horum ſcriptorum teſtimonio, in hac re non aquieſcere nefas eſſe exiſtimarem, quũ ipſi illi fuerint, qui & ludos ipſos peregerint, & peractos publicis commentariis memoriae tradiderint. Ipſorum igitur, ceteris auctoribus quibuſque omiſſis, in horum ludorum celebratione, temporum rationem ſequar, ſimulque pro mea uirili efficere ſtudebo, ut omnis ambiguitas inter eos, & ceteros ſcriptores exorta, tollatur

Ludos igitur, qui primi uere ſeculares dici debent, ſi poſteriorum temporum ratio habeatur, ex XV. uirorum commentariis facti ſunt anno poſt Romam conditam CCXCVII. ex Capitolinorum Faſtorum numerandi ratione, quam uſque ad Auguſti tempora ſequar, M. Valerio M. F. Maximo, & Sp. Virginio. A. F. Coelimontano Tricoſto cos. Hoc autem elicitur primo ex Cenſorini libello, quem de die natali ſcriptum reliquit, capite tertiodecimo. Qui locus licet omniũ mendoſiſſimus ſit; tamen iis conſulibus, ex eorundem ſententia, primos ludos ſaeculares debere adſcribi clare annorum vrbis conditae, & ludorum ſaecularium tempus ex XV. uirorum ratione conſideranti, manifeſtum erit. Ludos enim ipſos ſaeculares a primis ad quintos, centeſimo quoque, & decimo anno exacto reſtaurari ſolitos, perpetuo temporum ordine, ſcripſerunt. Quod ita eſſe ex conſulatuum collegijs, qui ſingulis annis creabantur, & ſequentibus ludis clare colligi poterit. Primos enim anno Vrbis CCXCVII. Secundos anno CDVII. Tertios anno DXVII. Quartos vero anno DCXXVII. & ſic deinceps actos fuiſſe notant

Quod uero Valerius Maximus, Plutarchus, Zoſimus, & alii dicunt, eos inſtitutos, actosq; fuiſſe a Valerio Poplicola primo conſule, ita forte dici poſſet (niſi uolumus eorum de hac re ſententiam reiicere) P. Valerium Póplicolam ipſos quidem, quum a patre Terentino edoctus eſſet, qui (ut dixi) primo eos ediderat; in peſtilentiae, ceterorumque morborum remedium inſtituiſſe, publicisque commentariis eorum ritus, caerimoniasque tradidiſſe, docuiſſeque quotiescunque opus eſſet eos debere fieri, uerum quum tunc opus non eſſet, ipſos ab eo nequaquam celebratos eſſe. Poſtea tamen. M. Valerio, & Sp. Virginio coss. quum peſtilentia vrbem inuaſiſſet, ab his primo celebrari coeptos

Poſſet quoque alio modo haec contradictio tolli, ſi Valerium Maximum, Zoſimumque, & ceteros, qui primos ludos ſaeculares editos referuut a Poplicola primo cos. ex gente Valeria, deceptos nominis ſimilitudine dicemus. Quum eos forte primus inſtituerit eius filius, qui etiam P. Valerius Poplicola appellatus eſt, qui cos. fuit triennio ante M. Valerium, & Sp. Virginium, cum C. Claudio Regillenſe, quibus primos editos XV. uirorum commentarii tradunt, praeſertim quum circa ea tempora Liuio & Dionyſio auctoribus, ingens in urbe fuiſſet peſtilentia, ſiquidem circa primi Poplicolae tempora aliquam Romae peſtem fuiſſe neque Liuius, neq; Dionyſius referunt; eosque poſtea a M. Valerio, & Sp. Virginio cos. editos fuiſſe

Poteſt demum, & ueriore (ut credo) ratione, haec diſcrepantia ita dirimi. Ipſos quidem ludos trinoctiales, atque omnia ſacrificia ſaepius ad Terentum facta fuiſſe; quotiescunque ſcilicet aliqua publica calamitas vrbem inuaſiſſet. Siquidem eos ludos pro ſalute populi Romani ad placandam deorum irã, ad ſeditionum, peſtilentiae, ceterorumq; morborum remedium, celebrari auctores ſunt Horatius, & Zoſimus, & ad alia quaedam, quae omnia paulo poſt ex Horatii carmine ſaeculari explicabo; & hac ratione dici poterit eos. a Valerio Poplicola inſtitutos primũque factos fuiſſe, & a ceteris quoq; conſulibus, qui ab aliis auctoribus digerũtur, quorum tamen in XV. uirorum commentariis mentio non eſt; quoties opus erat eos celebratos, ſed nec tunc, nec poſtea ſaeculares, ſed alio quodam nomine appellatos: quod innuere uidetur M. Varro libro primo de ſcaenicis originibus, qui ita ſcriptũ reliquit. Quũ quaedam de caelo tacta eſſent, & ideo libros Sibyllinos XV. uiri adiiſſent, renuntiauerunt, uti Diti patri, & Proſerpinae ludi Terentini in cãpo Martio fierent tribus diebus, & tribus noctibus, & hoſtiae furuae immolarentur &c. ubi & illud oſtẽdere uidetur, eos fieri ſolitos nõ fuiſſe, ſiue adhuc eorũ tẽpus ſtatũ nõ eſſe, quũ deorũ iuſſu celebrari coepti ſint. Porrò autem illos ludos qui eodem, ſimilique ritu, nõ quoties opus eſſet, ſed ſtato quoddam tempore; centeſimo quoque, & decimo anno exacto, quamquam nulla in urbe peſtis, aut alia uis morbi eſſet, quae hoc ipſum ſacrum requireret, ſed tantum ut is ordo ſeruaretur, ſaeculares poſtea appellatos fuiſſe exiſtimandum; eosque eſſe qui a XV. uiris adeo diligenter centeſimo quoque & decimo anno notati ſunt, non quidem ad repellendam peſtilentiam praeſentem, facti, ſed ad morem maiorum, hominumque ſalutem, & cetera bona populi Romani conſeruanda. Quod diſertis uerbis explicare uidetur Acro Horatianus interpres in carmine ſaeculari, vbi inquit: Saecularis carminis duplex deuotio eſſe conſueuerat, aut enim pro ſedanda, aut pro uitanda peſtilentia, aut pro certo, & conſtituto numero annorum, centeſimo uidelicet, & decimo anno, in Capitolio, a pueris & puellis impuberibus cantabantur. Erãt

autem hi ludi tanquam luſtrum quoddam, & expiamentum, quo antiqui vrbem Romam omnibus praeteritis noxis purgari, renouari, atque inſtaurari exiſtimabant, melioremque uiuendi rationem in poſterum precabantur, quod etiam aperte in carmine, quod ludis ſaecularibus cantabatur, explicat Horatius, quum inquit

Phoebe, ſiluarumque potens Diana
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper & culti, date quae precamur
Tempore ſacro
Quo Sibyllini monuere uerſus, &cet

Erantque apud ueteres, perinde ac eſt apud nos annus Iobilei, qui XXV. quoque anno redeunte celebratur, in quo omnium delictorum ueniam concedi liquet, quod & pontificum maximorum diplomata teſtantur. Nam quum primum a pontifice maximo Bonifacio VIII. inſtitutus fuit, decretum eſt, ut centeſimo quoque anno exacto celebraretur, poſtea ad quinquaginta primũ, deinde XXV. annorum interuallum redactus eſt. Et quamuis is annus Iobilei XXV. quoq; anno obſeruetur, nihilominus etiam a pontificibus Romanis, more ueterum, alii quoque Iobilei concedi ſolent, & quidem ut opus eſt ampliſſimi, maiore nihilominus tempore ſtato redeunte. Porro autem hos ludos, qui ad Terentum centeſimo quoque & decimo anno (ſi XV. uirorum commentariis credimus) facti, ſolemnes ſtatique permanſerunt, poſtea ſaeculares appellatos exiſtimo, ut ab his ludis diſtinguerentur, qui quãquam ad Terentũ prope Ditis patris, Proſerpinaeq; arã quotieſcũq; opus eſſet fierent, ſaeculares tamen appellati nõ ſunt. Illud autem ſcitu dignum eſt, primos, ſecundos, tertios, & forte quartos ludos, quos ſaeculares XV. uirorum commentarii, tempore Caeſaris Auguſti ſcripti, appellant, antiquitus nequaquam ſaeculares dictos; non enim ita facile hoc nomen apud uetuſtiſſimos ſcriptores uſurpatum inueniri poſſe credo: nec etiam ueriſimile eſt, quum adhuc ſaecula per ludos ipſos Romanis conſtituta non fuerint, eos ſaeculares appellatos. Ipſos autem uel Terentinos ut auctor eſt, M. Varro, a loco vbi edebantur, qui Terentus uocabatur; uel Ditis patris, aut Proſerpinae ludos, ſeu alio quoddam nomine uocatos exiſtimo, nobis incognito. Poſtea autem recentioribus temporibus ſaeculares dicti ſunt, uel (ut dixi) ut ab aliis ludis Terentinis diſtingui poſſent, uel etiam quod plerunque ſemel tantum hominis aetate fierent, ut multa alia, quae quum rara ſint, poſt ſaeculum uenire loquentium conſuetudo uſurpat, quod affirmare uidetur Ouidius libro ſecundo de Triſtibus, quum ait

Iuſſerat & Phoebo dici; quo tempore ludos
Fecit, quos aetas aſpicit una ſemel

Alij eos ideo ſaeculares dictos exiſtimant, quoniam ſemel tantum ſingulis ſaeculis fierent. Quod ut clarius intelligi poſſit, non alienum ab hoc Inſtituto erit, quid ſaeculum apud ueteres fuerit exponere. Eſt igitur ſaeculum (ut auctor eſt Cenſorinus in libro de die natali) ſpatium uitae humanae longiſſimum, natali, & morte definitum, a ſene dictum. Quod, ut eſt apud eundem capite VI. de ſaeculo, multi uario annorum numero deſcripſerunt. Quidam enim triginta annorum ſpatium, ſaeculum dici putant, quos multum erraſſe coarguit Heraclitus, qui id tempus genaeam, uel aetatem, non ſaeculum uocari ſcribit. Alii centum annis ſaeculum terminauere. Beroſus Chaldeus Beli in Babilone ſacerdos CVI. annis finiri ſaeculum ſcribit. Alii CX ut apud Romanos XV. uiri ſacris faciendis. Epigenes ſaeculum CXII. annos complecti refert. Quidam CXX. Herodotus, & Anacreo poeta CL. apud quos legimus Arganthonium Tarteſſiorum regem CL. annos uixiſſe. Alii CLVII. ut Theopompus, qui tot annos Epimenidem Gnoſium uixiſſe refert. Hellanicus annis CC. ſaeculum conſtituit. Cuius ſententiam ſequutus eſt Damiates, qui memorat Pictoreum ex Aetolis Epiorum gente corpore uiribusque integris CC. annos uixiſſe. Ephorus autem CCC. qui tradit Arcadas dicere apud ſe reges antiquos aliquos ad CCC. uixiſſe annos. Alxexander, & Cornelius quingentos, quẽ Dandonem quendã in Illyrico tot uixiſſe ſcribunt. Xenopho. DCCC. Qui tot uixiſſe refert Impetrim Latinorum regem. Quidam mille annis ſaeculum terminauere. Fuere quidam qui nõ idem putarent ubique obſeruandum, ſed uarie per diuerſas regiones, prout in ſingulis ſit ad caeli circulum finitiorem inclinatio, quod uocatur clima, ſaecula conſtituenda. Romanorum autem ſaecula, quae quidam ludis ſaecularibus diſtingui putant, centum & decem annorum eſſe XV. uirorum commentarii prodidere. Aliis autem uidentur eſſe incerta, temporum enim interualla (ut ait Cenſorinus) quibus hi ludi facti fuere, propter uarias ueterum ſcriptorum opiniones, in ambiguo eſſe uidentur. Siquidem Valerius Antias, M. Varro, T. Liuius, Sex. Pompeius, Zoſimus, D. Auguſtinus, & plerique alii ueteres ſcriptores, eos ita inſtitutos eſſe, ut centeſimo quoque anno fierent, prodidere. Nam ita (inquit Cenſorinus) inſtitutum eſſe, ut centeſimo

quoque

quoq; anno fierent, tum Antias, tum alii hiſtorici auctores ſunt. Et M. Varro libro primo de ſcaenicis originibus ita ſcribit: Quum multa portenta fierent, & murus, & turres quae ſunt inter portam Collinam, & Eſquilinam de caelo eſſent tacta, & ideo libros Sibyllinos X. uiri adiiſſent, renuntiauerunt uti Diti patri, & Proſerpinae ludi Terentini in campo Martio fierent, tribus noctibus, & hoſtiae furuae immolarentur, utiq; ludi centeſimo quoq; anno fierent. Idem Liuius libro ab vrbe condita CXXXVI. Eodem anno (inquit) ludos ſaeculares Caeſar ingenti apparatu fecit, quos centeſimo quoque anno (is enim terminus ſaeculi) fieri mos eſt. Sex. quoque Pompeius libro XVII. ait: Saeculares ludi apud Romanos, poſt centum annos fiebant, quia ſaeculum centum annos extendi exiſtimabant. Idem etiam refert Zoſimus libro hiſtoriarum ſecundo. Et diuus Aurelius Auguſtinus libro tertio de ciuitate Dei, capite XVIII. Inſtaurati ſunt (inquit) ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi ſeculares, quorum celebritas inter centum annos fuerat inſtituta, felicioribusq; temporibus memoria negligente perierat. Huc etiam ſpectare uidetur id quod apud Herodianum legimus lib. IIII. qui eos trium ſpatio aetatum ſolitos inſtaurari ſcribit, cēteſimo videlicet quoq; anno: aetatem enim hominis XXXIII. annos, ac menſes IIII. eſſe, libro ſecundo docet Herodotus: collocando igitur in ſingula ſaecula ternas hominū aetates, id ab Herodiano recte dictum erit. XV. uirales uero cōmentarii, Auguſti edicta, Horatius in carmine ſaeculari, & carmina Sibyllina, non centeſimo quoque ut ſuperiores, ſed centeſimo & decimo anno exacto eos referri ſolitos, memoriae prodiderunt. Horatius enim in carmine ſaeculari ita ait

Certus vndenos decies per annos
Orbis ut cantus, referatque ludos
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes

Idem quoque XV. uirorum (ut dixi) libri, Caeſaris Auguſti edicta, ut eſt apud Cenſorinum; & Acro interpres Horatii teſtantur. Saecularis (inquit Acro) carminis, duplex deuotio eſſe conſueuerat, aut enim pro ſedanda, aut uitanda peſtilentia, aut pro certo, & conſtituto numero annorum, centeſimo enim, & decimo anno in Capitolio a pueris & puellis puberibus cantabantur. Idem denique carmen Graecum, quod ipſius Sibylle oraculum eſſe Zoſimus libro ſecundo prodit, his verſibus refert

Aſt ubi iam humanae longiſſima tempora uitae
Orbis agens annos, referet centumque decemque
Sis Romane memor, licet alta obliuia tentent. &c

Ego itaque, quum ita uarium, & inconſtans fuerit ſaeculi, ludorūq; ſaecularium internallum, Auguſti potius edicta, Horatii, Acronis, Sibyllae, & poſtremo XV. uirum libros, quos identidem auctores Cenſorinus citat, in quibus ſummam animaduerti annorum conſtantiam, quam hiſtoricos alios ullos audire malui. De re enim pontificia libentius pontificales libros, quam alium quemquam ſequi aequum uiſum eſt. Quare ex eorundem ſententia ludos ſaeculares in meis Faſtis centeſimo quoque & decimo anno finito digeſſi. Atque hactenus de ſaeculo & primis ludis ſaecularibus

Non minor opinionum uarietas eſt, quo nam anno & quibus conſulibus ſecundi, tertii, & quarti ludi ſaeculares relati fuerint, quam de primis fuit; quas omnes Cenſorinus in libro de die natali litteris perſequutus eſt. Nam in XV. uirum libris, eodem auctore, centeſimo & decimo anno poſt primos, ſecundi digeſti ſunt, M. Valerio M. F. Coruo, & C. Poetelio C. F. Libone Viſolo cos. anno vrbis CDVIII. Liuius autem qui nō centeſimo & decimo quoque anno eos relatos exiſtimat, ſed centeſimo, de primis quidem nihil refert; ſecundos uero anno CDI. factos eſſe, illum putaſſe, inde ſuſpicatus ſum, quod Zoſimus ſecundos ludos factos eſſe M. Popillio. IIII cos. ſcribit, anno ab vrbe condita CDVI. qui conſulatus apud Liuium in annum. CDI. incidit. Zoſimus enim libro ſecundo, Quadringenteſimo ſexto poſt Romam conditam anno M. Popillio IIII. cos (collegae enim M. Valerii Corui nomen intercidit) eos admonitu carminum Sibyllinorum iterum factos fuiſſe refert. Quum enim reſpublica bellis, & peſtilentia uexaretur, ſenatus conſultum (inquit) factum eſt, ut X. uiri ſacris faciundis libros Sibyllinos conſulerent; quibus tot tantaque mala auerti poſſent, ex quorum reſponſo denuo rēgeſta humo apud hāc ipſam aram in extrema campi Martii parte, iuxta Lucinae lucum, ubi erat Terentum, quum de more ſacra Diti patri Proſerpinaeque facta, & ludi perſoluti eſſent, eandem aram denuo operuerunt. Ex qua re factum eſt, ut Romanis iterum a bellis quies, & incolumitas reſtituerentur. Hos autem fuiſſe exiſtimo quos D. Auguſtinus libro de ciuitate dei III. cap. XLIX inſtauratos ſcribit

Tertii autem ludi ſaeculares ex quindecemuiralibus libris, quos M. Verrius Flaccus in Faſtis ſequutus eſt, facti ſunt centeſimo & decimo anno poſt ſecundos, P. Cornelio L. F. Lentulo Caudino

dino,& C.Licinio C.F.Varo cos.Anno vrbis DXVIII.quo anno in tabulis Capitolinis in alio lapide, e regione eorundem conſulum ita (ut dixi) exarati ſunt

LVDI . SAECVLARES . TERT
M' . AIMILIO . M' . F
M . LIVIO.M. F. M.N. SALINATORE
MAG . X . VIR

Eos uero Antiate Liuioque auctoribus,factos fuiſſe tradit Cenſorinus,centeſimo anno poſt ſecūdos (ſaeculum enim centum annis ſtatuerunt)P.Claudio Pulchro,L.Iunio Pullo cos. anno vrbis conditae,ſi Liuianam ſummam ſequaris DI. ſi Capitolinam DIIII. Quorum ludorum Florus in epitoma libri XLIX. ex Liuio ſic meminit: Altero & ſexcenteſimo anno ab vrbe condita,L.Marcio,& M'.Manilio cos . tertium bellum Punicum coeptum. Diti patri ludi ad Terentum ex praecepto librorū Sibyllinorū facti, qui centeſimo anno,primo Punico bello,quingēteſimo &altero ab urbe cōdita anno facti fuerant.Horum & ſequentium ludorum Zoſimus mentionem omiſit.

De quartorum porro ludorum ſaecularium anno triplex opinio eſt,ut tradit Cenſorinus. Nā in XV.uirorum commentariis centeſimo & decimo anno poſt tertios relati ſunt,Mam. Aimilio M.F.Lepido,L.Aurelio L.F.Oreſte cos.anno vrbis DCXXVIII.Valerius autem Antias,M.Varro & T.Liuius eos editos ſcribunt , L.Marcio Cenſorino,& M'.Manilio cos.anno vrbis,ſi Capitolinos lapides ſequamur DCIIII . ſi Liuium uero DCI.centeſimo anno poſt tertios. Ita ut ex Liuii ſententia ſatis manifeſtum ſit , ludos ſaeculares centeſimo quoque anno relatos fuiſſe a ſecundis ad quartos . Nam ſi ſecundi ludi in annum quo M.Popillius cos.fuit,teſte Zoſimo inciderūt, tertii in conſulatum P.Claudii , & L.Iunii;quarti in conſulatum L.Marcii,& M'.Manilii,atque hi apud Liuiū anni ſint CDI.DI.& DCI. ſatis liquet eos centeſimo quoq; anno factos ex Liuii ſententia fuiſſe. De his ludis ex Liuio meminit in epitoma libri XLIX. Florus ita: Diti patri ludi ad Terentum ex praecepto librorum Sibyllinorum facti , altero & ſexcenteſimo anno ab urbe condita. L.autem Piſo uir cenſorius, Cn.Gellius, & C.Caſſius Hemina qui illo tempore uiuebant poſt annum tertium factos tradidere,anno urbis cōditae DCVIII.Cn.Cornelio C.F.Lentulo,& L.Mummio L.F.Achaico cos.Quam controuerſiam ex Acrone interprete Horatiano ſupra tolli poſſe demonſtraui. Si enim duplex fuit deuotio carminis ſaecularis , etiam ludorum ſaecularium fuiſſe facile exiſtimari poteſt . Ita ut alii ordinarii eſſent , qui certo tempore , & conſtituto referrentur , ut qui centeſimo decimo quoque; uel centeſimo anno fiebant ; alii uero qui extra ordinem , pro re nata ſedandae, uel vitandae peſtilentiae cauſſa , ut illi quorum alii ſcriptores fortaſſe meminerunt . De tertiis ac quartis(ut dixi)ludis ſaecularibus Zoſimus nihil tradit . Locus autem Cenſorini in quo quattuor priores ludi ſaeculares notati ſunt ita corrupte, & mendoſiſſime in uulgatis Aldinis codicibus legitur. Primos ludos ſaeculares exactis regibus cum poſt Romam conditam annis CCLV.a Valerio Publicola inſtitutos eſſe ad XL.virorum commentarios anno CCLXXXXIX.M.Valerio Sp.Virginio cos.anno poſt urbem conditā VIII.& XL.ut uero in cōmentariis XII.virorum ſcriptum eſt anno CCCCX. M.Valerio Coruino, & C. Petilio cos.Tertii ludi fuerunt Antiate Liuioque auctoribus P.Claudio Pulchro L.Iunio Pullo cos anno quingenteſimo duodeuigeſimo P.Cornelio Leutulo C.Liuio Varro cos.De quartorum ludorum anno triplex opinio eſt . Antias enim & Varro & Liuius relatos eſſe prodiderunt L.Marcio Cenſorino M'.Mantlio cos.poſt Romam conditam anno DCV. At Piſo cenſorius , & Cn. Gellius, & Caſſius Hemina qui illo tempore uiuebat, poſt annum factos tertium affirmant Cn. Cornelio Lentulo L.Mummio Achaico cos. ideſt DC.anno III.In XV.uirorum autem commentariis notantur ſub annis DCXXIX.Aemilio Lepido & L.Aurelio Oreſte cos. Quae uerba ego ſic reſtitui : Primos ludos ſaeculares exactis regibus conſtat poſt Romam conditam annis CCXLV . a Valerio Poplicola inſtitutos eſſe . At ex XV . uirum commentariis anno CCXCVIII. M. Valerio,Sp.Virginio cos.Secundi facti ſunt Antiate & Liuio auctoribus,M.Popillio IIII.& M.Valerio cos.anno poſt vrbem conditam VI.& CD. ut uero in commentariis XV. uirum ſcriptum eſt anno CDVIII. M.Valerio Coruino,C.Poetelio cos.Tertii ludi fuerunt Antiate Liuioque auctoribus,P.Claudio Pulchro,L. Iunio Pullo cos. anno ab V.C. DV. ut in XV.uirorum autem commentariis ſcriptum eſt,anno D. duodeuiceſimo . P.Cornelio Lentulo , C. Licinio Varro cos. De quartorum ludorum anno triplex opinio eſt,Antias enim & Varro,& Liuius relatos eſſe prodiderunt L.Marcio Cenſorino,M'.Manilio cos.poſt Romam conditam anno DCV. At Piſo cenſorius & Cn. Gellius,& Caſſius Hemina , qui illo tempore uiuebant , poſt annum factos tertium affirmant,Cn.Cornelio Lentulo,L.Mummio Achaico cos. ideſt DCVIII.anno . In XV.uirorum autem commentariis notantur ſub anuis DCXXIIX. Mam. Aimilio Lepido , & L. Aurelio Oreſte cos. & cet. Haec ita ſe habere,hinc colligere poſſumus , quod de ſingulis ludis diuerſae opinionis referuntur,extrema autē ſemper XV.uiralium librorum eſt. Quum autem primos ex XV.uiralibus

ralibus libris ſcriptũ ſit factos anno CCXCIX. Secũdos anno CCCC.& X.tertios anno DXIIX. quartos DCXXIX.malui ſeruare conſtantiam centeſimi & decimi anni,quare ita legi CCXCIIX. CDVIII. DXIIX. & DCXXIIX.annorum ſummam Varronis, non tabularum Capitolinarum ſequutus, quam Cenſorinum quoque ſequutum fuiſſe animaduerti. Neque enim M. Valerius & Sp.Virginius anno CCXCIX.inire potuerunt, quum primi conſules anno CCXLV.inierint, neque ullae ſupputationes ſunt, quae illam ſummam & rationem tueãtur. Praeterea in ſecundis ludis uidetur ueriſimile ex CCCCIIX.mendoſe factum eſſe CCCCX.nam de tertiis non eſt dubium, diſerte enim ſcripti ſunt anno DXIIX. Ergo & in quartis DCXXIIX.reſtituendum eſt. At que etiam ſi in Faſtis Capitolinis hi conſulatus mira conſtantia CCXCVII. DCVII. DXVII. & DCXXVII.nominantur,ueriſimile uidetur,ut in Cenſorini ſumma quae Varronis eſt,& uno anno Capitolinam antecedit,ea conſtantia cuſtodiatur. Deſiderari nomina auctorum in ſecundis ludis Antiatis,& Liuii maxime puto, qui concordes in tertiis,& quartis citantur, itemque nomina conſulum quae ex Zoſimo ſuppleui.Atque hactenus de iis ludis ſaecularibus quae ante Auguſti tempora celebrati ſunt

Quinctos ludos ſaeculares centeſimo & nono anno exacto,ex XV.uirorum annorum ſumma, poſtea quam quarti celebrati fuerant,fecerunt Cenſorino & Dione auctoribus,imp. Caeſar Auguſtus, & M. Vipſanius L.F.Agrippa, anno poſt urbem conditam ſi Varronis ſummam ſequaris DCCXXXVII. ſi Capitolinam DCCXXXVI.C.Furnio C.F.& C.Iunio C.F.Silano cos.anticipato anno, quum eos ſequenti facere debuiſſent,ut centeſimus decimus expletus eſſet, conſtansque annorum ratio ſeruaretur. Quod cur factum fuerit,latius ſupra docui, ubi de tempore vrbis conditae diſputaui. Nam Caeſaris dictatoris tempore,uetus annorum ab vrbe condita ordo L.Taruntio Firmano, & Varrone auctoribus immutatus eſt. Is enim annus qui ex antiqua ſumma DCCXXXVI.ab urbe condita erat, ex noua numerandi ratione. DCCXXXVII. factus fuerat. Caeſar uero Auguſtus quum uoluiſſet antiquam & religioſam celebrandi ludos rationem retinere, ut ſeptimo ſuae decadis anno fierent, non ad antiquam ſed recentem annorum ſummã reſpexit, eosque anno vrbis ſi tabulas Capitolinas ſequaris DCCXXXVI. ſi Varronis autem quam tum ſequebatur,DCCXXXVII.quo potiſſimũ decadis anno ideſt VII. celebrari ſolebant. Sed quum de iis latius ſupra diſputauerim,reliqua perſequar. Magiſtri autem XV. uirum,qui Auguſti ludis ſaecularibus praefuerunt,adhuc in fragmento Capitolino ita ſuperſunt

LVDI . SAECVLARES . QVINCT
IMP . CAESARE . DIVI . F . AVGVSTO
C . SENTIO . C. F. C. N . SATVRNINO
M . CLAVDIO . M. F. M . N. MARCELLO MAG.XV.VIR
M . FVFIO . M . F . STRIGONE
D. LAELIO . D. F. D. N . BALBO

Cur autem hi ludi poſt C. Silii & L. Munatii Planci conſulatum in Faſtorum Capitolinorum fragmento,prope finem imperii Auguſti ſuperſint,ſatis ſupra in poſteriore Faſtorum praefatione aperui. De his ludis T.Liuius libro CXXXVI.eodem anno(inquit) ludos ſaeculares Caeſar ingenti apparatu fecit. Zoſimus autem hos ludos abolitos paulatim, & ſicut ipſe refert diu intermiſſos, quibusdam aduerſis rebus incidentibus, Sibyllinis monitis, Auguſtum inſtauraſſe ſcribit,L.Cenſorino & M.Manilio Cos.C. Atteio Capitone iuriſconſulto, & xv. uiro ſacris faciundis, circuitum, ſpatiumque ſubiiciente, leges uero & mores, ritumque ſacrorum libris indicantibus Sibyllinis;qui ab eo interpretabantur. Zoſimi ſententiam confirmare uidetur eo longe prior Claudius Caeſar in hiſtoriis ſuis; qui intermiſſos eos; Auguſtum multo poſt diligentiſſime annorum ratione ſubducta celebraſſe tradidit,ut eſt apud Tranquillum. De ludis ſaecularibus Auguſti,Plinius libro VII. capite XIIX. mentionem facit. Suetonius quoque in Auguſto cap.XXXI. Fecit (inquit) ludos ſaeculares, quibus iuuenes utriusque ſexus prohibuit ullum nocturnum ſpectaculũ frequentare, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum.De his ludis Ouidius libro II.de triſtibus ad Auguſtum Caeſarem ita ſcribit

Iuſſerat & Phoebo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos aetas aſpicit una ſemel

His autem ludis cantatum fuiſſe carmen ſaeculare, quod ab Horatio editum fuit

Phoebe, ſiluarumque potens Diana. Acro & Porphyrio interpretes auctores ſunt. Dio etiã hiſtoriarum libro LIIII. & Cenſorinus cap.XIIII. hos ludos ab Auguſto Caeſare, C.Furnio, & C.Silano cos.factos ſcribũt,anno vrbis DCCXXXVII. De ſaecularibus Auguſti extat apud Antonium Auguſtinum nummus argenteus in cuius altero latere eſt: IMP CAES AVG XV VIR LVD SAEC F, in altero uero L. MESCINIVS RVFVS III VIR

Poſt

Poſt Caeſarem Auguſtum ſequentes principes ludos ſaeculares ad libitum potius, & pro arbitrio, quam religionis ergo celebraſſe, non obſeruato centum & decem annorum religioſo ordine, ſatis conſtat. Nam Claudius Caeſar primus poſt Auguſtum, anno ab urbe condita DCCC. ſextos ludos ſaeculares ipſo IIII. & L. Vitellio III. cos. quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſeruatos, fecit. Quamquam ipſe alias poſtea, monumentis litterarum tradiderit, Auguſtum in ſaecularium editione diligentiſſime temporum ratiooem ſeruaſſe. Claudium imp. ſuſpicatus ſum eos ob hanc cauſſam ante ſtatum tempus celebraſſe, quod ſaeculares ipſos uoluerit ad annum quendam inſignem redigere, perinde ac ad centeſimum, tanquam ad ſaeculi initium, uetereque obſeruatione tanquam parum apta relicta, eum rationem habuiſſe potius annorũ urbis conditae, quibus in ſaecula diſtributis, centum annos vnicuiq; ſaeculo diſpenſauit, quam ueteris & ineptae religionis, quae nulla, ut tum forte uidebatur, haud ſane probabili ratione, annum ſaecularem conciſo decennii numero obſeruabar. Atq; ob eam rem ſingulo quoq; centeſimo anno vrbis eos in futurum referri debere inſtituerat, eaq; ratione ipſe primus omniũ ediderat. Qui tameo ſequentium principum, qui eum ſequeretur neminem praeter Philippum imp. habuit. Is enim ludos ſaeculares milleſimo vrbis conditae anno fecit. Quapropter quũ inter Claudii, & eos quos Aug. Caeſar ediderat ludos LXIII. anni tantũ interceſſiſſent, inriſa eſt (ut ait Tranquillus in eius uita) uox praeconis inuitãtis more ſolemni ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſpiã, nec ſpectaturus eſſet, quũ ſupereſſent adhuc qui ſpectauerant, & quidã hiſtrionum producti olim, producerentur quoq;, inter quos (ut Plinius libro VII. cap. XLIIX. refert.) Vnus Stephanio fuit, qui primus togatus ſaltare inſtituit; eũ enim ſaltaſſe ſcribit utriſq; ludis ſaecularibus, & Auguſti, & quos conſulatu ſuo quarto Claudius Caeſar fecit, quando LXIII. non amplius anni interfuere. De eiſdem ludis, idem Plinius libro VIII. cap. XLII. Claudii (inquit) Caeſaris ſaecularium ludorum circenſibus, excuſſo in carceribus auriga, albati equi palmam occupauere. Cornelius quoque Tacitus libro XI. ait; Iiſdem conſulibus ludi ſaeculares DCCC. poſt urbem conditam anno, quarto & LX. quam Auguſtus ediderat ſpectati ſunt. De iiſdem ludis Cenſorinus & Dio mentionem faciunt, prior cap. XIIII. ſequens in Claudii uita libro LIX

Septimos ludos ſaeculares ut teſtantur Cenſorinus, & in Domitiano Tranquillus; computata ratione temporum, ab anno, non quo Claudius proxime, ſed olim Auguſtus ediderat, fecit Imperator Domitianus Auguſtus, ipſo XIIII. & L. Minucio Rufo cos. anno poſt urbem conditam DCCCXLI. Quam recte autem baec Tranquillus ſcripſerit, haud ſatis ſcio. Si quidem Domitianus imperator nec Auguſti, nec Claudii ſaecularium, quum ipſe eos celebraſſet, rationem habuit. Non Claudii, quia uix quadrageſimus ab eius ludis annus exactus erat. Non Auguſti, quia ſex annos anticipauit. Eos enim non DCCCXLI. ſed DCCCXLVII. ad Auguſti ſummam edere debuiſſet. Quod qua ratione fecerit baud equidem ſcio. Tacirus libro XI. ſe hanc cauſſam reddidiſſe ſcribit: ubi ita ait: Vtriuſque principis, & Claudii, & Domitiani, rationes praetermitto de ludia ſaecularibus, ſatis narratas libris, quibus imperatoris Domitiani res compoſui. Nam is quoque edidit ludos ſaeculares, iiſque intentius fui ſacerdotio XV. uirali praeditus, ac tum praetor, quod non iactantia refero, ſed quia collegio XV. uirum antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimum exequebantur officia caerimoniarum. Ego autem exiſtimarem, Domitianum ipſum ludos ſaeculares, a numero decennii ſeptenario, in quo prius celebrabantur tanquam parum apto ad primum eius decadis, Liuianam forte, & Antiatis annorum ſummam in hac dumtaxat re ſequutus, redigere uoluiſſe, in qua ex antiqua conſuetudine ludos ſaeculares referri oportebat; & ita aliqua ratione Auguſti ordinem eſt ſequutus, potiusquam Claudii, non quidem ratione numeri, ſed annorum decadis. De ludis ſaecularibus Domitiani uidi in muſaeo Achillis Maffei antiquum eiuſdem nummum aereum, in quo haec ſcripta ſunt: IMP. CAES. FLAV. DOMITIANVS. AVG. GERM PONT. MAX. TR. POT. VIII. COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC De his ludis ſcribit Papinius in ſilua ad V. P. Gallicum, cui titulus Soleria; quum inquit

Nec tantum induerit fatis noua ſaecula crimen
Aut inſtaurati peccauerit ara Terenti

Martialis quoque de eiſdem meminit epigrammatum lib. IIII. ita

Hic colat ingenti redeuntia ſaecula luſtro
Et quae Romuleus ſacra Terentus habet
Magna quidem ſuperi petimus ſed debita terris
Pro tanto quae ſunt improba dona Deo

Eoſdem etiam ſimul cum iis quos Claudins fecit, innuit in epitaphio cuiuſdam matronae, quae binis ludis ſaecularibus Claudii, & Domitiani interfuerat, quum ait

Bis mea Romano ſpectata eſt vita Terento
Et nihil extremos perdidit ante rogos

Terenti autem Varro (ut ſupra dixi) in linguae Latinae commentariis, Ouidius in Faſtis, & plerique ueteres mentionem faciuot. Sex. Aurelius Victor: Domitiani (inquit) tempore ludi ſaeculares celebrati ſunt

Octauos ludos ſaeculares, centeſimo & XV. anno, poſtquam eos Fl. Domitianus ediderat, Cenſorino & Zoſimo auctoribus, fecerunt Imperatores Caes. L. Septimius M.F. Seuerus Pius Pertinax Aug. & M. Aurelius L.F. Antoninus Pius Fel. Auguſtus, L. Fabio M.F. Cilone II. & M. Anoio M.F. Libone cos. Anno poſt vrbem conditã DCCCCLVII. Io ludis enim ſaecularibus celebrandis Seuerus imperator, nec Claudii, nec Domitiani annorũ, ſed antiquae Auguſti ſummae rationem habuit, quum eos CC. & XX. anno exacto, poſteaquam ipſos Auguſtus ediderat, fecerit. De his Herodianus mentionem facit libro IIII. quum ait: Vidimus item ſub illo quoſdam ludos omnis generis, cunctis editos theatris, ſimulque ſupplicationes, & peruigilia ad formam Cereris initiorum, ſaeculares hi tum appellabantur, celebratos ut aiunt decurſo trium ſpatio aetatum. Siquidem vrbe tota atque Italia praecones ibant conuocatum omnes ad ludos, quos nec uidiſſent hactenus, nec uiſuri poſtmodum forent. Scilicet interuallum praeteritae, futuraeque celebritatis ſuperate hominum aetatem ſignificantes: Dio quoque in Seueri vita, aetate ſua eos factos memoriae prodidit. Eſt apud Antonium Auguſtinum caſtiſſimi & elegantiſſimi uirum ingenii nummus aereus cum hac ſtelographia. SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR POT. XII. COS. III. LVD. SAEC. FEC

Poſt Seuerum negat amplius inſtauratos fuiſſe Zoſimus, quoniam hic centum & decem annorum ambitus, ueterum iam auctoritate receptus, in Conſtantini Chriſtiani principis, ac Licini quartum incurriſſet conſulatum: quamquam ego apud Capitolinum, Euſebium, Caſſiodorum Sex. Aurelium Victorem, Eutropium; & in nummis Philippi antiquis, nonos ludos ſaeculares a Philippo imperatore anno vrbis conditae milleſimo, Philippis patre III. & Filio II. cos. editos inuenerim. Decimo praeterea eos factos ab Honorio impetatore ſexto ſuo conſulatu refert Claudianus: quos utrorumque principum ludos, ideo Zoſimum praeteriiſſe exiſtimo, quod ludi qui a Philippo celebrati ſunt, praeter antiquum annorum ambitum facti fuerint. XLIII. tantum anno poſteaquam eos Seuerus fecerat exacto, ob quam tationem etiam ita ludorum ſaecularium Claudii meminit tanquam non legitimo tempore factorum. Hoorii quoque ludos tacuit, quum acerrimus eſſet noſtrae religionis hoſtis, ne priocipis Chriſtianiſſimi in hac re mentionem faceret, quod exiſtimaret ab eo potius pollutos, quam editos ludos. Conſtat autem (ut de Philipporum ludis ante loquar) ex Euſebio in chronicis, Caſſiodoro, Eutropiique libro IX. ob ſolemnitatem milleſimi vrbis anni, ſub Philippis expleti, ſacra ingenti ludorum, & ſpectaculorum apparatu a Philippis patre, & filio Auguſtis fuiſſe celebrata, beſtiasque innumerabiles in circo maximo interfectas, & ludos in campo Martio theatrales tribus diebus, & tribus noctibus populo peruigilante editos, quibus ludis, quos etiam ſaeculares appellat Sex. Aurelius Victor, dicitur Philippum iuniorem, tum quinquennem, qui ideo agelaſtos dictus eſt, quod nunquam riſiſſe feratur, patrem petulantius eachinantem, quamquam adhuc tenerũ uultu auerſato notauiſſe. De eiſdem ludis Iulius Capitolinus in Gordiano: Fuerunt (inquit) ſub Gordiano Romae elephanti XX. & II. quorum ipſe XII. miſerat, Alexãder. X alces X. tigres X. leones manſueti LX. leopardi manſueti XXX. belbi. I. hienae X. gladiatorum fiſcalium paria mille. hippopotamus, & rhinoceros unus, archoleontes X. camelopardali X. onagri XX. equi feri XL. & cetera huiuſmodi animalia innumera, & diuerſa, quae omnia Philippus ludis ſaecularibus uel dedit, uel occidit. Has autem omnes feras manſuetas, & praeterea efferas, parabat Gordianus ad triumphum Perſicum, ſed uotum publicum nihil ualuit, nam omnia haec Philippus exhibuit ſaecularibus ludis, & muneribus, atque circẽſibus quum milleſimum ab vrbe condita aonum, in conſulatu ſuo, & filii ſui celebraret. De ſaecularibus ludis Philippi multam, & uariam mentionem fieri uidi in pleriſque uetuſtis eiuſdem aereis, & argenteis oomiſmatibus; quae ſuot Venetiis in muſeo integertimi uiri Stephani Magni patricii Veneti. Is inter ceteram, quam habet ueterum nummorum ſupellectilem, octo quoque aut decem habet Philipporum argenteos, aereosque nummos, variis & mirabilibus in primis ſignificationibus ornatos; inter quos duo ſunt alter aereus, alter argenteus iiſdem ſignis excuſi; ab uno enim latere circum Philippi ſenioris caput ſunt litterae: IMP CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. COS. III. ab altero uero, in num

mo tantum argenteo nota I. cum hac inſcriptione: SAECVLARES . AVGG . in cuius medio eſt leo. Eſt alius eiuſdem nummus cum nota numeri II. in quo cum iiſdem uerbis eſt lupa praebens Romulo & Remo infantibus mammas. Tertius porro nummus Philippi iunioris circum eius caput ſcriptum habet: IMP . CAES . M . IVLIVS . PHILIPPVS . AVG . . COS . II . a tergo nota III. & haec uerba SAECVLARES . AVG . cum animali facto ad caprae formam ſine cauda, quod alcem fuiſſe credo. Quartus eſt Philippi vxoris ſic inſcriptus: MARCIA . OTACIL . SEVERA AVG . ab alio latere nota IIII. Cum hippopotamo. Quintus porro nummus eſt Philippi ſenioris cum nota numeri V. & ceruo litteriſque iiſdem quas ſupra rettuli. Sextus nummus eiusdem etiã eſt cum nota VI. ſupra quam eſt animal capra non abſimile, ſed cum cornibus ſerratis, quae forte hiena erat. Res viſu digna, & maxime memorabilis uiſa eſt. In iiſdem enim nummis omnia animalium genera formata fuiſſe exiſtimaui quae Philippum ludis ſaecularibus exhibuiſſe paulo ante ex Capitolino, in Gordiani uita oſtendi. Sunt eo in loco, & alii argentei aeneique de iiſdem ludis Philipporum nummi, in quorum uno qui eſt Philippi ſenioris, circum columellae ſignum ſic inſcriptae eos. III. Eſt: MILIARIVM . SAECVLVM. In altero qui Philippi iunioris caput habet circum elephãtum eſt ita ſcriptum: AETERNITAS . AVG . Multos praeterea uidi, quos nunc longum eſſet enumerare. Porro autem cum hos ludos celebrauit Philippus, neq; Auguſti, & Seueri; neque Domitiani annorum rationem habuit, ſed ea quae Claudium, etiam Philippum ratio mouit, qui ut ille octingenteſimo ſic ipſe milleſimo vrbis anno expleto, eos celebrauit.

Vidi etiam in eodem muſaeo Gallieni argenteum nummum in cuius altero latere circa eiuſdem caput ſcriptum erat GALLIENVS . AVG . ab altero uero erat ceruus cum hac inſcriptione SAECVLARES . AVG . Hanc rem tanquam nouam miratus ſum, nec quid dicam habeo, ipſum enim ludos ſaeculares celebraſſe & temporum ratio repugnat, & nemo quod ſciam, auctor eſt. Quare res ipſa in ambiguo ſit.

Decimo Romae ludos ſaeculares remotis (ut exiſtimo) daemonum ſacrificiis, ſolis tantum circenſibus, & theatralibus ludis, qui uſque ad ea tempora perdurauerant, Imp. Honorius Auguſtus ſexto ſuo conſulatu, duceuteſimo anno, poſtquam a Seuero editi fuerant, fecit; ludorum Philippi tanquam, qui non legitimo tempore celebrati fuerint; ratione neglecta; Fuit is annus vrbis ꝏ CLVII. Nam Conſtantinum Imperatorem, qui primus Romanorũ principũ publice Chriſti fidem relicta antiqua ſuperſtitione, eſt amplexus hos celebrari uetuiſſe eſt exiſtimandum. Quum Euſebius eiusdem edicto antiquorum templa clauſa, daemonum ſacrificia prohibita, ludosque plurimos ſublatos fuiſſe, referat. Ceterum Honorius imp. eos hac lege celebrandos Romanis conceſſiſſe crediderim, ut ſine ſacrificiis, ſolis tantum ludis circenſibus, & theatralibus, illos in memoriam priſtinae celebritatis ederent, a quibus ſolemnibus difficillime Romani auelli poterant; quod ſenſim Romanorum pontificum praecipua, & perpetua opera factum eſt; ut de ludis gladiatoriis, Lupercalibus, uirginibus Veſtalibus & ceteris huiuſmodi, quae omnia longo tempore etiam poſt Conſtantinum in vrbe permanſerunt. De his ludis Claudianus in panegyrico ſexti Honorii Imp. conſulatus ita ſcribit.

Nunc praeſens etiam Getici ne laurea belli
Declinare poteſt, ſedes ne capacior ulla
Tantae laudis erit? tua te benefacta morantem
Conueniunt meritiſque ſuis obnoxia uirtus
Quod ſeruauit amat, iam flaueſcentia centum
Meſſibus aeſtiuae detondent Gargara falces
Spectatoſque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus ſaecula conſul

Ceterum eos Honorius non ſeruata antiqua religione centum & decem annorum edidit, ſed ducenteſimo tantũ anno poſt ſuperiores celebratos fecit, quum illos ducẽteſimo & vigeſimo facere debuiſſet; hoc eſt anno vrbis ꝏ CLXXVI. Quod ideo factũ puto, quia iã falſa opinio illa animos omniũ imbuerat, eos antiquis tẽporibus, centeſimo quoq; anno tantũ fieri ſolitos. Nam omnes horũ temporũ auctores, qui de eis ſcripſerũt, illos antiquitus centeſimo quoq; anno fieri ſolitos tradunt

tradunt. Poſt Honorium imperatorem uero eos nulla ratione amplius inſtauratos exiſtimo; neque enim eſt aliqua eius rei memoria; quum praeſertim centeſimus annus poſt, in Anaſtaſii, Theodericique imperia incidat, quibus uniuerſae fere antiquorum caerimoniae, & ritus exoleuerant quum religio ſanctiſſima Ieſu Chriſti, quae his ſuperſtitionibus infenſiſſima erat, omnia iam obtinuiſſet

De diebus porro quibus hi ludi celebrabantur, quos trinos fuiſſe auctor eſt in Ternario numero Auſonius, quum ait

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo

quod etiam Valerius, Euſebius, & Caſſiodorus affirmant, nũc paucis me expediam. Eos Zoſimus, poſt meſſis tempus fieri ſolitos refert. Cuius rei nullam apud alios ſcriptores mẽtionem extare uidi. Ego autem quantum coniecturis quibuſdam conſequi potui, tempora prius diſtinguenda eſſe exiſtimo, deinde de diebus diſſerendum. Nam alio tempore dum reſpublica fuit, alio uero ſub imperatoribus, eos referri ſolitos opinor. Republica enim ſtanre (quamquam hoc pro certo haud affirmare auſim) XLX. & IX. Kal. Mai, Parilibus, & duobus diebus ſequentibus eos edi ſolitos fuiſſe, his rationibus mihi perſuaſi. Quum ludi pro vrbis ſalute, atque imperi aeternitate fierent, ueroſimile uidetur, eos vrbis natali die celebrari ſolitos. Meam uero hanc opinionem maxime confirmat, quod ex antiquis nummis collegi, eos ſub imperatoribus poſtea, diebus natalitiis eorundem imperii inſtauratos fuiſſe. Qui procul dubio id ex antiquo ritu acceperunt; ante Auguſtum enim eos natali vrbis Romae die factos fuiſſe exiſtimandum eſt. Quum uero ſingulare imperium Roma perſereret, tum haec ſacra quae pro ſalute vrbis & reipub. agebantur; a Romanis principibus ad ſuam & vrbis, cuius domini erant deuotionem tranſlata ſunt; ludique qui Parilibus celebrabantur, ſuis ipſorum imperii diebus natalitiis peragi uoluerunt. Ipſos autem ludos Auguſtorum aetate diebus imperii natalitiis referri ſolitos, ita ex Domitiani nummis, nam Auguſti, uel Claudii eiuſmodi non extant, demonſtrari poteſt. Satis ex his quae ſupra in commentariis dixi, manifeſtum eſt, Romanos principes qui ad imperii faſtigium euecti erant, primo imperii die, tribuniciam poteſtatem aſſumere ſolitos, niſi eam, quod plerunque accidit, praedeceſſore uiuo obtinuiſſent. Ex qua, ut tradit Dio, annos quoque imperii numerabant, ita ut quũ dicitur tribuniciae poteſtatis primum, ſecundum, & tertium; nihil aliud ſignificetur quam eum imperatorem imperii annum primum, ſecundum, & tertium agere. Domitianus igitur (ut in eius uita tradit Tranquillus) ſtatim poſt Titi fratris mortem, primo imperii die, qui fuit Idibus Septembris tribuniciam etiam poteſtatem, quam patre, fratreque uiuis, obtinere non potuerat, ſuſcepit. Iſque dies fuit imperii natalis, Quem magna ludorum celebritate ueteres principes Romani colere ſolebant. Proximis vero Kal. Ianuariis; quum octauum conſulatum iniiſſet; eum, ut tradit Tranquillus, uſque ad quartum decimum continuauit. Satis autem ex Cenſorino, & antiquis Domitiani nummis liquet, ipſum ludos ſaeculares conſulatu ſuo XIIII. feciſſe. Sic enim in iis legitur

IMP . CAESAR . DOMITIANVS . AVG . GERM . COS . XIIII . LVD . SAEC . FEC

Qui conſulatus in ſeptimum, & octauum ſui principatus annum, ut ex Faſtis cognoſci poteſt, incidit. Hoc eſt in tribuniciam poteſtatem VII. & VIII. Quod etiam ex his duobus nummis eiuſdem argenteis intelligitur. IMP . CAES . DOMIT . AVG . GERM PONT . MAX . TR . POT . VII . IMP . XIIII . COS . XIIII . Item in alio. IMP . CAES . DOMITIANVS . AVG . GERM . P . M . TR P . VIII . CENS . P . P . P . COS . XIIII . LVD . SAEC . EEC

Ex quibus nummis clare quod dixi manifeſtum eſt, annum Iulianum quo ipſe XIIII. conſul fuit, duos eius imperii, & tribuniciae poteſtatis annos VII. & VIII. attigiſſe. In quo a Kalend. Ianuariis ad Idus Septembres (is dies imperii natalis & tribuniciae poteſtatis erat) poſterior ſeptimi imperii anni, ab Idibus uero Septembris, ad Kal. Ianuarii ſequentis anni Iuliani, prior octaui tribuniciae poteſtatis, & imperii anni pars tranſacta fuit. Quum autem ludi ſaeculares Domitiani, conſulatu eius XIIII. tribunicia uero poteſtate VIII. relati tradantur; illud poſtremo neceſſe eſt, ut inter Idus Septembres, & prid. Kal. Ianuarias eiusdem anni editi ſint, quandoquidem conſulatu XIIII, ante eaſdem Idus tribunicia poteſtas non VIII. ſed VII. poſt Idus uero, immo Idibus ipſis, octaua referatur: proximis uero Kal, Iannariis quamquam adhuc tribunicia VIII. ſit, non tamen eſt amplius annus XIIII. conſulatus. Neceſſe itaque eſt ut ludi ſaeculares Domitiani inter Idus Septembres, & pridie Kalend. Ianuarii anni conſulatus XIIII. acti ſint. Ceterum quum inter Idus Septembres & pridie Kalend. Ianuari nullus memorabilis dies, iantaeque ſolemnitati aptus eſſe reperiatur, reliquum eſt ut dicamus, ipſos ludos Idibus Septembris, die natali imperii Domitiani, & duobus diebus ſeqnentibus XVIII. & XVII. Kal. Octobris celebratos. Atque haec de ſaecularibus Domitiani ſatis ſint

Eadem

Eidem de ſaecularibus Seueri imperatoris ratio eſt. Quos Cenſorinus L. Fabio Cilone II. & M. Annio Libone cos. factos fuiſſe refert. Extat apud Antonium Auguſtinum antiquus Seueri nummus, ita inſcriptus: SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR. P. XII. COS. III. LVD SAEC. FEC. Ex Dione uero, & Aelio Spartiano elicitur imperii Seueri natalem diem fuiſſe Idibus Maii. Eo autem anno quo Cilo II. & Libo conſules fuerunt, ut ex Faſtis conſularibus liquet, Seuerus tribuniciam poteſtatem egit XI. & XII. vndecimam quidem a Kal. Ianuarii ad Idus Maii; duodecimam uero ab Idibus Maii, ad prid. Kal. Ianuarii. Quod ſi ludi ſaeculares Seueri, ut nummus indicat, tribunicia poteſtate XII. Seueri facti ſunt, Cilone II. & Libone cos. ut tradit Cenſorinus, neceſſe eſt ut relati ſint, ea illius anni parte, quae eſt Idibus Maii, ad prid. Kal. Ianuarii. Quo temporis interuallo, quum nullum inſigniorem diem extare uiderim, quam imperii natalem, eos ſuſpicatus ſum celebratos fuiſſe Idibus Mai, imperii die natalitio, & duobus ſequentibus, more maiorum

Hoc idem poſtremo de Philippo dicendum eſt, quod idcirco minime praeterire uolo, quod ex hac diſputatione difficillimam quaeſtionem enodari poſſe exiſtimo. Conſtat igitur ex antiquis nummis, quorum exempla ſupra relata ſunt, & veterum ſcriptorum monumentis, duos Philippos imperatores, patrem & filium ludos ſaeculares anno ab vrbe condita milleſimo expleto feciſſe. Quod quamquam primo aſpectu iis qui in Faſtorum lectione uerſati ſunt, fieri non poſſe uideatur, quod Philippi ſenioris tertius, iunioris uero ſecundus conſulatus, quibus ludi celebrati traduntur, non in ∞ ſed in ∞I. annũ vrbis inciderint, haec tamẽ contradictio hac ratione tolli facile poteſt. Si enim animaduerterimus diem natalem imperii Philippi Auguſti fuiſſe circa Kal. Martias, ut ſupra demonſtraui, Peregrino & Aimiliano cos. poſt Gordianum occiſum; facile etiam intelligemus eos & milleſimo ab vrbe condita anno, & conſulatu eiuſdem tertio, filiique lui ſecundo celebratos fuiſſe, quotieſcunque die natali imperij editi ſint. Nam ſi eos circa Kal. Martias die natali imperii fecit, non quidem ſuperiore anno eos referre potuit, quo ipſe II. filius uero primum cos. fuit, quandoquiqem is non ∞. ſed C∞ XCIX. adhuc eſſet, milleſimus enim proximis Parilibus inchoandus erat. Si igitut eos & milleſimo vrbis anno, & die natali imperii ſui fieri uoluit, neceſſe fuit, ut eos in ſequentem annum Iulianum diferret, quo ipſe III. filius uero II. cos. fuit, cuius priores tres menſes extremi anni ∞. vrbis conditae fuerunt, ſi quidem proximis Parilibus ∞I. incipiendus erat. Quum illud ſatis conſtet annum Iulianum unum, binos vrbis conditae attingere, ille enim Kal. Ianuariis hi vero XI. Kal. Maii auſpicari ſolent. Reliquum eſt ergo, ut ludi ſaeculares Philippi facti fuerint, circa Kal. Martii anni ∞. vrbis conditae patre III. & filio II. cos. in fine eius anni. Nam ∞I. proximis Parilibus inchoari debebat. Quod etiam confirmant Euſebius, & Caſſiodorus, qui ita ſcribunt: Regnantibus Philippis, milleſimus vrbis annus expletus eſt; ob quam ſolemnitatem ludi theatrales, & circenſes, & cetera, facti, quaſi hoc in fine anni milleſimi urbis Romae factum eſſe demonſtrent, qui erat circa principium anni Iuliani. Suggerit deinde Caſſiodorus: Quadraginta miſſus natali vrbis Romae concurrerunt, hoc eſt: ſequenti, in quo iam milleſimus annus expletus erat, primusque noui ſaeculi incipiebat; quod idem innuit quum inquit; & Agon mille annorum, ideſt exactorum, actus: Quod etiam Philippi antiqua nomiſmata indicant cum hac inſcriptione PHILIPPVS. AVG. COS. III. SAECVLVM. NOVVM. perinde ac poſt mille annos, ſaeculum alterum inciperet

De ritu autem ſaecularium ludorum haec fermè tradit Zoſimus. Inſtante ludorum tempore per totam Italiam praecones mittebantur conuocatum omnes ad eos ludos, quos nemo adhuc ſpectaſſet, nec amplius ſpectaturus eſſet, ſignificantes ſcilicet praeteritae, futuraeque celebritatis interuallum, ſupra omnem hominum eſſe aetatem. Tum paucis antequam ſpectacula ederentur diebus, imperator ipſe, ſiue conſules, & XV. uiri ſacris faciundis in Capitolio, & Palatio, ante Apollinis Palatini, & Iouis Capitolini templa, pro ſuggeſtu conſidentes, populo piamina, ſeu februa diſtribuebant, hoc eſt quae ad flagitiorum expiationes pertinerent. Haec erant thedae, ſulphur, & bitumen. Ea uero liberi tantum capiebant. Serui enim his ſolemnibus ſacris omnino excluſi erant. Hoc autem in antiquo Domitiani nummo, qui eſt apud Achillem Maffeum, aperte intelligitur, in cuius altera parte eſt ipſius imago, cum hac ſtelographia: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. A tergo autem haec ſunt: In primis vir, quem imperatorem eſſe veriſimile eſt, pro amplo ſuggeſtu laeua, ante templi cuiuſdam porticum, quae quattuor columnis Corinthiis ſubſtinetur, ſedens, diſtribuenſque eiuſmodi piamina manu dextra, atque ante pedes habens duo uaſa, ſub cuius tribunali hoc ſcriptum eſt: SVF. P. D. hoc eſt ſuffimenta populo data. Ante quem a parte dextra ſunt duo praeterea homines alter paruus prope illum manus attollens, aliquid a ſedente principe accepturus;

perinde ac pueri facere ſolent; alter grandior retro accipiens haec ſuffimenta, ſeu plamina de manu principis ſedentis: & circum ſcriptum eſt: PONT. MAX.TR. POT.VIII. CENS.P.P.P LVD.SAEC.FEC. Ad haec coibat populus, tum in ea quae ſupradiximus loca, tum praeterea in Dianae templum, quod in Auentino colle conditum erat, vbi cuique libero ordeum, triticum, fabasque dari mos erat parcis offerendas. Huius quoque rei in antiquo etiam Domitiani nummo aereo qui eſt apud eundem Achillem mentio eſt ita. In eius enim altera parte eſt ipſius imperatoris caput cum his litteris: DOMITIANVS.AVG. GERM. P.M. TR. P.VIII.CENS. P.P P. in altera uero, eſt templum eximium cum porticu, quattuor columnis Corinthiis ſuffulta, ante quam dextra eſt uir pro amplo ſuggeſtu ſedens (ipſe eſt Domitianus) habens ad pedes tria uaſa, aut tres vrnas (tria enim frugum genera diſtribuebantur) ſub tribunali uero, ſiue ſuggeſtu ſcriptum eſt, FRVG. AC. ex alia uero nummi parte, A. POP.i. Fruges acceptae a populo. Imperator enim ſedens, dextera manu, quam porrectam habet, pateram tenet, ex alia uero nummi parte, ideſt ſiniſtra, ſunt uiri duo ſtantes ante eius tribunal, duas pateras, aut vaſa in ambabus manibus tenentes, ex quibus prior pateram, quam dextra tenet, porrigit ſedenti principi tanquam aliquid ab eo accepturus ex ſua. Idem facere uidetur alius uir qui retro ſtat. Circũ haec eſt inſcriptio. COS.XIIII.LVD.SAEC.FEC.

His rebus diſtributis, tum ad formam Cereris initiorum ſanctiſſime caſteque peruigilia fiebant. Vbi uero feſtus dies primus aduenisset, quem toto triduo, trinoctioque in campo Martio ſacris ipſis intenti, haud longe ab ipſa Tiberis ripa, ſcilicet prope Terentum celebrabant, ſacrificia Ioui, Iunoni, Neptuno, Mineruae, Veneri, Apollini Mercurio, Cereri, Volcano, Marti, Dianae, Veſtae, Herculi, Latonae, fontium Deis, ad haec Parcis, & quas uocant Ilithyas, Diti patri, & Proſerpinae, prout in antiquis nomiſmatibus diuerſorum principum animaduerti, faciebant. Primae autem noctis ludorum hora ſecunda: conſules ipſi temporibus quidem reipub. ſiue poſt, Imperator una cum xv. uiris ſacris faciundis, tribus aris ad amnis ripam extructis, totidem agnos immolabant, arisque ipſis ſanguine perfuſis, quae ſupererant uictimarum corpora concremabant. Haec etiam omnia uidi in alio Domitiani antiquo nomiſmate apud Antoniũ Auguſtinum Circa cuius caput ex una parte ſunt hae litterae; IMP. CAES. DOMIT. AVG GERM. P. M. TR. POT. VIII. CENS. P. P. P. ex altera uero: ſunt tres porticus columnis Corinthiis ſubſtentatae ſub quibus tres illae arae extructe erant de quibus dixi; ante quas eſt uir ſtans, quem imperatorem Domitianum eſſe exiſtimo, a parte ſiniſtra ſacrificans, infundensque pateram ſuper ignem arae impoſitum, lituum ſiniſtra ſeu baculum quendam ſacerdotalem tenens: retro aram eſt uir alius duas tibias ſimul, quas ambabus manibus tenet, ſonans, ita ut in medio nummi ille ſit, a parte uero dextera è regione ſacrificantis, eſt alius uir ſtans, cytharamque pulſans. Circum uero COS.XIIII.LVD.SAEC.FEC. Porrò autem conſtructa iuxta Terentum, ad amnis ripas in theatri morem ſcaena extemporanea, lumina, lychnuchi, & ignes accendebantur, hymnique concinebantur ad hunc maxime uſum compoſiti cantabantur, ſpectacula quoque quaedam edi ſolemniter ſolita, agebantur; terraque eruta ſuper aram Ditis patris, & Proſerpinae, quae antiquitus, a Poplicola, & ante illum a Voluſo Valeſio, reperta fuerat, hoſtias furuas Diti patri, & Proſerpinae immolabant. Merces uero celebrantibus primitiae frugũ erant, tritici ſcilicet, ordei, & fabarum, ex quibus poſtea quae ſupererant, ut ſuperius dictum eſt, inter uniuerſum populum diuidebantur. Mane autem eiuſdem primi diei, in Capitolium aſcendentes, poſteaquam Ioui optimo maximo ſacra ſolemnia de more riteque perfeciſſent, ad praeparatum theatrum, ut ludos in Apollinis, Dianaeque honorem faciundos celebrarent, conueniebāt. Poſtero autem die, nobiles matronas ea hora, quae ab oraculo praecipiebatur, in Capitolium conuenire, ibique deo ſupplicare, frequentare lectiſternia, ex ritu hymnos canere, Iunonis quoque aram adire conſuetum erat. Poſtea Imperator ipſe, & xv. uiri ſacris faciundis, vota ante ſuſcepta ſoluebant, Ioui etenim, Apollini, Neptuno, Herculi tauros albos; Iunoni, Mineruae, Dianae iuuencas concolores: Parcis agnas, caprasque atras; Diti uero patri, Proſerpinaeque hoſtias furuas, ſuem, ſcilicet, & ſcorfam nigram ſacrificabant; ceteris quoque diis ſua ſacra, ut unicuique mos erat; reddebantur. Cuius rei extant etiam nummorum exempla. Tertio autem die in templo Apollinis Palatini ter nouem pueri praetextati, totidemque uirgines patrimi omnes matrimique Graeca, Romanaque uoce carmina, & paeanas concinebant, quibus imperium, ſenatum, populumque Romanum diis immortalibus commendabant. Singulis autem ludis ſaecularibus, hymnos nouos praeſenti tempore congruos editos pueri puellaeque cantabant. qualis eſt ille, qui ab Horatio editus, ludis ſecularibus Caeſaris Auguſti cantatus eſt, quẽ ideo ſubiicere placuit, ut ex illo tum ceterorum hymnorum ratio cognoſci queat; tum ea, pro quibus deos precabantur, quisque intelligere poſſit, Eſt autem hic

Phebe

Phoebe, ſiluarumque potens Diana
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper, & culti, date quae precamur
Tempore ſacro
Quo Sibyllini monuere uerſus
Virgines lectas, puerosque caſtos
Dis, quibus ſeptem placuere colles
Dicere carmen
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, & celas; aliusque & idem
Naſceris, poſſis nihil vrbe Roma
Viſere maius
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya tuere matres
Siue tu Lucina probas vocari
Seu genitalis
Diua producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper iugandis
Feminis, proliſque nouae feraci
Lege marita
Certus vndenos decies per annos
Orbis, ut cantus, referatque ludos
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequenteis
Vosque veraces cecinisſe parcae
Quod ſemel dictum eſt, ſtabilisque rerum
Terminus ſeruat, bona iam peractis
Iungite fata
Fertilis frugum, pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona
Nutriant foetus & aquae ſalubres
Et Iouis aurae
Conditio mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo
Siderum regina bicornis audi
Luna puellas
Roma, ſi ueſtrum eſt opus, Iliaeque
Littus Etruſcum tenuere turmae
Iuſſa pars mutare 'areis, & vrbem
Soſpite curſu

Cui per ardentem ſine fraude Troiam
Caſtus Aeneas patriae ſuperſtes
Liberum muniuit iter daturus
Plura relictis
Di probos mores docili iuuentae
Di ſenectuti placidae quietem
Romulae genti date, remque prolemque
Et decus omne
Quique uos bobus ueneratur albis
Clarus Anchiſae Veneriſque ſanguis
Imperet bellante prior, iacentem
Lenis in hoſtem
Iam mari, terraque manus potenteis
Medus, Albanasque timet ſecures
Iam Scythae reſponſa petunt ſuperbi
Nuper, & Indi
Iam fides, & pax, & honor, pudorque
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu
Augor, & fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptisque nouem Camoenis
Qui ſalutari leuat arte feſſos
Corporis artus
Si Palatinas uidet aequus arceis
Remque Romanam, Latiumque felix
Alterum in luſtrum, meliusque ſemper
Proroget aeuum
Quaeque Auentinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Applicet aureis
Haec Iouem ſentire, deosque cunctos
Spem bonam, certumque donum reporto
Doctus, & Phoebi chorus, & Dianae
Dicere laudes

Haec autem agendo imperium populi Romani perpetuum fore ſibi perſuadebant. Hoc vero ludorum ſaecularium triduo, ludi celebrabantur, omnibus circis, & theatris, omnium generum; & ſacrificia templis omnibus fiebant, noctu pariter atque interdiu. De Circenſibus ludis ſaecularibus celebrari ſolitis, Tranquillus in Domitiano: Circenſium (inquit) die ludis ſaecularibus, quo facilius centum miſſus uno die peragerentur, ſingulos a ſeptennis ſpaciis, ad quina coripuit. De ſcaenicis uero hiſtrionibus, ſaltatoribusque ludorum ſaecularium, Plinius libro VII. capite XLVIII. mentionem facit, vbi de Stephanione ſaltatore togato loquitur, quem utriſque ludis ſaecularibus, & Auguſti, & Claudii ſaltaſſe ſcribit. Venationes quoque, ubi diuerſorum

rum generum ſerae conficiebantur, populo exhibebantur. Cuius rei meminit Capitolinus in Gordiano III. Fuerunt inquit, ſub Gordiano Romae elephanti XX. & duo, quorum ipſe XII. miſerat, Alexander X. alces X. tigres X. leones manſueti LX. leopardi manſueti XXX. belbi ideſt hyene. L. gladiatorum fiſcalium paria mille: hippopotamus, & rhinoceros unus. Archoleontes X. camelopardali X. onagri XX. equi feri XL. & cetera huiuſmodi animalia diuerſa, & innumera, quae omnia Philippus ludis ſaecularibus, uel dedit, uel occidit. Has autem omnes feras manſuetas, & praeterea efferas parabat ad triumphum Perſicum, ſed uotum publicum nihil valuit. Nam omnia haec Philippus exhibuit ludis ſaecularibus, & muneribus, atque circenſibus, quum milleſimum ab vrbe condita annum in conſulatu ſuo, & filii ſui celebrauit. Ludis autem ſaecularibus completis ara Terentina Diti patri & Proſerpinae antiquitus a Romanis conſecrata, quae egeſtis ruderibus primo die aperiri conſueuerat, rurſum terra obducta operiebatur, ſequentibus tantum ludis ſaecularibus reſeranda. Conſuetum autem erat (quod etiamnum Romani pontifices anno Iobilei obſeruant) ut hi cos. uel Imperatores ſub quibus ludi facti erant, nomen ſuum arae cuidam inſcriptum cum ordine rei geſtae, temporeque, in Terento conlocarent, quae arae adhuc in antiquis Auguſti, Domitiani, Seueri, & Philipporum nummis uidentur. Quorum omnium inſcriptiones ex eiſdem nummis accurate concinnatas ſuggerere placuit, Caeſaris enim Auguſti in hanc fere formam, eſſe poterat

IMP . CAESAR . DIVI . F
AVGVSTVS . PONTIF . MAXIMVS
TRIBVNIC . POTEST . VII . COS . XI
IMPERATOR . VIII . ET
M . AGRIPPA . L . F . PONTIF . TRIBVNIC
POTEST . II . COS . III . IMPERAT . IV
EX . S . C
LVDOS . SAECVLVRES . FECERVNT
ANNO . POST . VRB . COND . DCCXXXVII
C . FVRNIO . C . F
C . IVNIO . C . F . SILANO CoS

Claudii uero ſequens

TI . CLAVDIVS . DRVSI . FIL
CAESAR . AVGVSTVS . GERMANICVS
PONTIFEX . MAXIMVS . TRIBVNIC
POTESTAT . VII . IMP . XIV . CoS . IV
CENSOR . P . P
LVDOS . SAECVLARES . EX . S . C
FECIT
ANNO . POST . VRBEM . COND . DCCC
TI . CLAVDIO . CAESARE . AVGVSTO
GERMANICO IIII
L . VITELLIO . P . FILIO . III CoS

Domitiani autem imperatoris

IMP . CAESAR . DIVI
VESPASIANI . FIL
FLAV . DOMITIANVS . AVGVST
GERMANICVS . PONTIFEX
MAXIMVS . TRIBVNIC . POTEST
VIII . IMP . XIIII . COS . XIV
CENSOR . PERP . P . P
LVDOS . SAECVLARES
EX . S C . FECIT
ANNO . POST . VRBEM . COND
DCCCCXLI
IMP . CAESARE . DIVI . VESP . F
FL . DOMITIANO . AVGVSTO
GERMANICO . XIIII CoS
L . MINVCIO . RVFo

Seueri autem eſſe potuit

IMPERATOR . CAESAR
L . SEPTIMIVS . M . F . SEVERVS
PIVS . PERTINAX . AVGVSTVS . P . P
PARTHICVS . ARABICVS . ET
PARTHICVS . ADIABENICVS
PONTIFEX . MAXIMVS
TRIBVNIC . POTEST . XII . IMP . XI
COS . III . PRO . COS

ET

IMPERATOR . CAESAR
M . AVRELIVS . L.F.ANTONINVS
PIVS . FELIX . AVGVSTVS
PONTIFEX . TRIBVNIC . POT . VII
COS . DES . II . P . P . PRO . COS
LVDOS . SAECVLARES . EX . S . C
FECERVNT
ANNO . POST . VRBEM . CONDIT
C∞ . LVII
L.FABIO . M . F.CILONE . II COS
M . ANNIO . M . F. LIBONE

Philippi autem erat

IMPERATOR . CAESAR
M . IVLIVS . PHILIPPVS . P . F
AVGVSTVS
PONTIFEX . MAXIMVS
TRIB . POT . V . COS . III . P.P . IMP . ET

IMP . CAES . M . IVLIVS
AVG . FIL . PHILIPPVS.P.F . AVG
PONT . TRIB . POT . II . COS . II
EX . S . C
LVDOS . SAECVLARES . FECERVNT
ANNO.POST.VRBEM.CONDITAM.∞
IMP . CAES . PHILIPPO . AVGVSTO . PATRE
III . ET
IMP . CAES . PHILIPPO . AVG . F. AVGVSTO . II
COS

Porro autem quum in hac ludorum ſaecularium diſputatione, Sibyllinorum aliquoties carminum mentio facta ſit, oportunum eſſe exiſtimaui ſi ea, quae nunc etiam apud eundem Zoſimum ſine ullis faſtigiis reperiuntur, & ab Angelo Politiano elegantiſſime, ſeruato (ut ipſe inquit) in comptae illius ac venerandae vetuſtatis aliquo colore Latina reddita ſunt, modo ſuggeram: ſunt autem haec

Aſt vbi

Aſt ubi iam humanae longiſſima tempora uitae
Orbis agens annos referet, centumque decemque
Sis Romane memor (licet alta obliuia tentent)
Sis memor, ut qua ſe nimium Tiberina coartat
Ripa, feras diis in campo ſolemnia ſacra
Quum nox atra premit terras, tectusque latet ſol
Agnae, caprigenumque pecus genitalibus parcis
Hoſtia furua utraeque cadant, tum numina placa
Laeta puerperiis,(quod fas fuat) Ilithyas
Terra ſuem ferat, & ſcrofam ſibi fertilis atram
Sed Iouis ante aram candenti corpore tauros
Luce feri, nam lux ſuperis gratiſſima diuis
Iunonis templum nitida ceruice iuuenca
Imbuat, atque itidem Phoebus placetur Apollo
Quem uocitant eſſe Solem, Latoa propago
Paeanas puerique cantant, pueraeque Latinorum
In templo, ſed enim pueri, pueraeque ſeorſum
Concelebranto choros, uerum haec ſit patrima proles
Matrimaque, at nuptae genibus Iunonis ad aram
Oranto inuiſae, diuamque in uota uocanto
Februa, quum etiam, uir quisque, & femina quamquam
Femina praecipue, accipito dehinc aedibus omnes
Primitias uitae placidis placamina diuis.
(Qua fas eſt) & caelitibus portando beatis
Ante domi tamen illa memor tibi habeto repoſta
Quae dare mox uſu liceat, poſcente uirisque
Femineoque gregi: tum digna ſedilia diuis
Perque dies iuxta, & noctes multeſima turba
Complento, & lepidis miſcento ſeria ludis
Quae tibi, ſi ſtabili ſint omnia condita mente
Cuncta tuo Italiae tellus, cunctique Latini
Subdent colla iugo, & uictoris ſceptra timebunt

Poſt Honorium autem imperatorem omnino fieri deſierunt, ſiquidem tempus centum & decem annorum, in Chriſtianorum tempora deuenit, qui his ſuperſtitionibus aduerſi, eos agere deſierunt. Quare etiam imperii vrbisque declinationem factam fuiſſe nititur Zoſimus perſuadere, quum inquit. Quarto uero Conſtantini, & Licinii conſulatu, tempus ſtatum ludis ſaecularibus celebrandis centū nidelicet, & decem annorum exactum eſt, in quo ex antiquorum conſuetudine ſacra ipſa agere neceſſe erat, eisque non factis, in eas moleſtias, in quibus nunc res ſunt deuenire oportuit; ſiquidem tanta vrbs, tamque praeclara barbarorū mancipium effecta eſt. &c. vixit autem Zoſimns Arcadii, & Honorii imperatorum tempore, quando Alaricus Gothorum rex vrbem Romam cepit. Quibus omnibus & ſimilibus calumniis, quum diuus pater Auguſtinus in libris de ciuitate dei, & plerique alii ueteres Chriſtiani ſcriptores accuratiſſime ſatisfecerint nefas eſſe arbitror, de iisdem rebus amplius diſſerere. Ceterum quo omnia quae dici magis confirmari poſſint, antequā ad huius diſputationis finem ueniam, ipſius Zoſimi uerba ad amuſſim translata ex initio ſecundi hiſtoriarum ſuarum libri, qui acephalus eſt, ſuggerere uolui

Ex

Ex ſecundo libro hiſtoriarum Zoſimi. Deeſt principium

*

Ex homine maxime diuturnam uitam mediũ huius celebritatis ſpatium amplecti. Romani enim aeuum ſaeculũ uocant. Prodeſt autem ad contagionum, morborũ, & interitus remedium. Habuit certe initiũ ex eiuſmodi cauſſa. Voluſus Valeſius a quo Valeriorum gens deducta eſt, fuit in Sabinorum gente praeclarus. Erat ei nemus ante uillam proceris maxime arboribus; quae quũ fulmine ictae ſtatim conflagraſſent, dubitare coepit, quid nam is fulminis caſus ſignificaret. Nec multo poſt quũ ipſius filij graui morbo correpti, ad deſperationem uſq; medicorũ laborarẽt haruſpices cõſuluit, quibus ex cõſuetudine caſus ignis, conijcientibus quod haec deorũ ira eſſet, Voluſum ſacrificiis deos placare iuſſerunt. Quumq; in magno metu cum vxore eſſet, moxq; filiorum mortem expectaret, laribus familiaribus ſe aduoluens, pro liberorum ſalute ſuum matriſque puerorum capita deuouit. Quum uero ad nemus fulmine ictum reſpexiſſet, uocem e nemore ſtatim audiuit, quae ſaluos eos ſore promittebat, ſi pueri Tiberi ad Terentum peruecti calefactam Ditis, & Proſerpinae foco de fluuio ipſo biberent aquam. Quae quum audiſſet filiorum ſalutem magis deſperauit. Longiſſime enim abeſſe Tarentum, ſcilicet in extrema Iapygia, nec proxime eam urbem reperiri ullum fluuium Tiberim ſciebat. Malam praeterea ſpem ei afferebat aqua, quam in aris terreſtrium daemonum calefieri oportere audierat. Super hac quoque re ambiguus, quum iterum haruſpices conſuluiſſet, ab iis monitus eſt, ut omnino diis obtemperaret. Impoſitos igitur in lintrem filios; ſecumque ignem afferens, Oſtiam ire pergebat. Mox quum ad campi Martii regionem lintrem deuexiſſet, qua placidiſſime amnis labitur, exponit in ripam aegrotos, ac dum tumultuarium ſibi tugurium concinnat, admonetur a gubernatore petendum potius Terentum, ibique commorandum. Ita enim locus in proximo appellabatur, ſicut Tarentum quod eſt in extrema Iapygia. Tum uero Voluſus audito Terenti nomine ſupplex diuinum numen orauit, gubernatoremq; illuc nauigium appellere iuſſit. Quo cum perueniſſet, omnia paſtoribus nuntiauit. Statimque aquam feſtinato de flumine hauſtam, ac quodam foco quem ibi repererat calefactam filiis bibendam dedit. Potui ſuccedit ſomnus ſalutaris. Somno experecti recuperata ualetudine patri renuntiant, uiſum ſibi per ſomnium praecipi a neſciu quo deorum ut Diti patri, & Proſerpinae furuae ibidem mactarentur hoſtiae, trinoctiumque perpetuum choris, & carminibus celebraretur. Is homo in campo Martio Terento proximo, in quo etiam admodum aptus eſt locus ad equorum exercitationem, defodi iaciundis alte arae fundamentis, iubet. Tunc ara eo in loco condita inuenta eſt in qua littere erant, quae Plutonis, Proſerpinaeque mentionem faciebant. Tunc igitur quid ſibi agendum eſſet apertius edoctus, in ea ara mactat (quod iuſſus fuerat) furuas continuo uictimas, & trinoctium ſacris frequẽtat. Huius arae ſacrificiique ritus originem ab eiuſmodi cauſſa habuiſſe fertur. Quum bellum inter ſe Romani Albanique gererent, & utraq; in procinctu iam ſtaret acies, extitit repente quidam monſtruoſa ſpecie, pelle amictus nigra, vociferans iubere Ditem patrem, deamque Proſerpinam ſub terra ſacrum ſibi fieri prius quam proelium committeretur. Quae quum dixiſſet euanuit. Quo perterrefacti uiſo Romani, aram ſub terra edificarunt, & ſtatim ſacrificio facto, eam pedum uiginti aggere obtexerunt, ut ara illa ceteris omnibus Romanis exceptis eſſet incognita. Hanc quum Voluſus reperiſſet, ſacrificiumque in ea, & trinoctium celebraſſet, ex eo Manius Valerius Terentinus appellatus eſt. Romani enim terreſtres deos manes appellant; & ſanum eſſe ualere dicunt. Terentinus uero a ſacrificio Terenti facto eſt vocatus. Porro autem aliquot annis poſt ciuibus peſtilẽtia laborãtibus P. Valerius Poplicola primus poſt reges exactos conſul, apud hanc ipſam, quam dixi aram, atrum bouem Diti pro maribus concolorem pro feminis iuuẽcã Proſerpinae mactauit, ciuitatemq; peſtis morbo liberauit, araeq; titulum ita ſcripſit

P . VALERIVS . POPLICOLA
IGNIFERVM . CAMPVM
DITI . ET . PROSERPINAE
CONSECRAVI . ET . LVDOS
DITI . ET . PROSERPINAE
ROMANORVM . SALVTIS
ERGO . FECI

Quadringentis porro annis poſt urbem conditam, quũ bellis & peſtilentia ciuitas uexaretur, atq; tot malorũ remedium quaereretur ex S.C. lecti ſunt, qui libros conſulerent Sibyllinos, ex quorum reſponſo cognitum eſt, futurum malorũ finem, ſi Diti patri, & Proſerpine ſacra facerent. Locum igitur conquirentes, iiſdem ut iuſſum fuerat, denuo regeſta humo, apud aram hanc ipſam, in extremo campi Martii, de more ſacra, & ludos perſoluerunt, reſtitutaque Romanis iterũ incolumitas eſt, M. Popillio & Quinctio cos. Poſt ludos uero factos, aram iterum cooperuerunt.

Huius

inſtaurauit Octauianus dignus imperator L. Cenſorino, & M. Manilio coſ. Legum, priſcorumque morum neglectione Ateio Capitone exponente, tempora uero quibus ſacrificandum erat, ſacrificijque morem, ex carminibus Sibyllinis, XV. Viris ſacris faciundis oſtendentibs, qui Sibyllinorum oraculorum libros ſeruabant. Poſt Octauianum uero Claudius celebrationē hanc fecit, conſtitutorum annorum numerum non obſeruans. Cuius rei cauſſa Domitianus neglecto annorū ſpatio Claudij, eos ad Octauiani annorū ſummā celebrauit. Poſt haec Seuerus decē & centum inſtantibus annis, cum Antonino & Geta filiis eandem ſolemnitatem fecit, Cilone & Libone conſulibus. Celebritatis autem huius ratio ſic eſt litteris prodita. Inſtantibus ludis, praecones undique circuibant, omnes ad ſpectaculum inuitantes, quod neque antea unquam ſpectauiſſent, neque poſtea ſpectaturi eſſent. Idque poſt tempus meſſis fiebat. Paucis diebus antequam ludi ſpectari coeperent, XV. viri S. F. in Capitolio, & templo iuxta Palatium pro tribunali ſedentes populo piamina, ideſt res quae ad piacula, & flagitiorum expiationes pertinent, diſtribuebant, ea erant taedae ſulphur, & bitumen. Ad quae accipienda ſeruis ius ullum erat, ſoli tantum liberi ea capiebant. Coibat autem populus tum in ea quae ſupra dixi loca, tum praeterea in Dianae templum quod eſt in Auentino, & cuique triticum, ſabas, & ordeum dari mos erat, quae parcis offerrent, poſtquam cum ſanctimonia caſteque uigilaſſent. Vbi uero ſeſtus dies jam adueniſſet, triduum trinoctiumque ſacris intenti, in ripa ipſa maxime Tiberis, apud Terentum agitabant. Sacrificia uero Ioui, Iunoni, Apollini, Dianae, Parcis, Cereri, Plutoni, & Proſerpinae peragebant. Igitur ſecunda primae noctis ſacrorum hora, princeps ipſe tribus aris, ad ripam fluminis extructis, totidem agnos, & una XV. uiri immolabant, & ſanguine imbutis aris, caeſa uictimarum corpora concremabant. Conſtructa autem ſcaena in theatri morem, lumina & ignes accendi, & hymni concinni, ad hunc uſum tum maxime compoſiti, & inde ſpectacula edi ſolemniter ſolita; data celebrantibus hac mercede, tritici, ſabae, ordeique primitiis, quae ſupra inter uniuerſum populum diuidi, oſtendi. Mane uero in Capitolium aſcendere, ſacra ibi de more agitare, tum in theatrum conuenire, ad ludos in honorem Apollinis & Dianae faciundos, conſueuerunt. Sequenti die nobiles matronae qua hora praecipitur ab oraculo, conuenire in Capitolium, ſupplicare deo, frequentare lectiſternia, canere hymnos ex ritu mos habebat. Tertio uero die In Apollinis Palatini templo, ter noueni pueri praetextati nobileſque, totidemque uirgines patrimi omnes & matrimi Graeca Romanaque uoce hymnos, & paeanas concinnebant, quibus imperium Romanum, & incolumitatem populi dijs immortalibus commendabant: omniaque fiebant quae In carminibus Sibyllinis precipiebantur. Quibus celebratis Romanū imperium integrum permanſit. Quae ut re ipſa credi poſſint, Sibyllae carmen adponā.

Aſt vbi iam humanae longiſſima tempora uitae. & cet

Si igitur ut uaticinium inquit, hoc uerum eſt: iis omnibus rite peractis Romanū imperium ſeruatum eſt, obtinueruntque omnem (ut dixi) orbem terrarum. Contempta uero & neglecta hac obſeruatione, Diocletiano imperio abdicante, paulatim imperium ipſum labefactatum eſt, & poſtea in praeceps pronum corruit, ut ipſi uidimus, atque tanta urbs tamque praeclara barbara effecta eſt. Hoc etiam uerum eſſe & ex temporum ratione oſtendam. A Cilonis enim & Libonis conſulatu, quibus coſ. ludos ſaeculares edidit Seuerus, uſque ad annum in quo Diocletianus IX. & Maximianus VIII. conſules fuerunt, centum ſupra unum anni interceſſerunt, quo tempore Diocletianus ipſe cum Maximiano imperio abdicans, priuatam uſque ad mortem uitam egit, idemque Maximianus fecit. Tertio uero Conſtantini, & Licinii conſulatu, tempus ſolemne ludis ſaecularibus celebrandis centum & decem annorum impletum eſt; in quo ex maiorum inſtituto ſacra ipſa celebrari neceſſe erat, quibus neglectis in eas moleſtias, in quibus res ſunt, deuenire neceſſe fuit. & cet. Atque hactenus Zoſimus &, de ludis ſaecularibus

F I N I S

Aelianus autem libro XII. variae hiſtoriae, quattuor Sibyllas aſſerit, Erithream, Samiam, Aegyptiam, & Sardianam. His alii duas Iudaeam, & Cumeam adiungunt, ut ſint ſex; quibus quidam alias praeterea quattuor addunt, eorum uero nomina non referunt. M. Varro (ut eſt apud Lactantium libro primo) quo nemo unquam doctior, ne apud Graecos quidem, nec apud Latinos uixit, in libris rerum diuinarum quos ad C. Caeſarem pontificem maximum ſcripſit, Sibyllas decem numero fuiſſe refert, easque omnes enumerat cum auctoribus qui earundem geſta monumentis litterarum conſignarunt. Quas non eo ordine, quo a Lactantio digeruntur, enumerabo; qui nec temporis, nec Sibyllarum rationem habet, ſed quum ab antiquiſſimis ad recentiores deuenero, eis praeterea addam, quae a ueteribus Graecis & Latinis ſcriptoribus de iiſdem Sibyllis, & carminibus earundem notata ſunt

De Sibylla Delphica

Prima igitur ex his Sibyllis, quas Varro inter decem enumerat, omniumque uetuſtiſſima Sibylla DELPHICA fuit. De qua Chryſippus loquitur in eo libro quem de diuinatione compoſuit, quam quidam Athemin uocatam ſcribunt, Delphisque ortam. Haec ut Boethus perhibet longe ante Troiana tempora uaticinata eſt, cuius plurimos uerſus Homerum operi ſuo inſeruiſſe plerique tradiderunt. Eam Diodorus Siculus libro V. Daphnem Thyreſiae filiam fuiſſe refert, quam Argiui quum Thebas uiciſſent, Delphos miſere uotum redditurі. Quae prius quũ diuinandi artem a patre Thyreſia edocta fuiſſet, Delphis manens uaticinandi peritior Apollinis ui facta eſt, deique reſponſa conſulentibus edebat: itcirco ante omnes Sibylla eſt ab omnibus uocitata, ut auctor eſt Varro. Hinc omnes mulieres diuinandi peritae ut quidam tradiderunt Sibyllae dici coeptae ſunt. De hac Solinus cap. VII. Polyhiſtoris, & Plinius libro XXXIIII. cap. V. mentionem faciunt. Fertur & Daphne altera Ladonis Arcadis filia ab Apolline adamata, quae in laurum eſt uerſa; quum deum aduerſaretur, & fugeret. Fabulam narrat primo metamorphoſeos Ouidius. Porro autem ante hanc nullam mulierem uaticinatam fuiſſe legitur

De Sibylla Erithrea

Altera Sibylla fuit Erithrea dicta, quam Apollodorus Erithreus affirmat ſuam fuiſſe ciuem, eamque Graiis Ilium petentibus uaticinatam, & perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum. Hoc autem uaticinium integrum extat in libro qui uulgo circunfertur, oracula; Sibyllina octo libris digeſta continet, in lib. tertio. Hāc vulgatior opinio eſt fuiſſe ante bellum Iliacum. Euſebius uero in chronicis eam in primam aetatem urbis Romae, regnumque Romuli refert. Strabo autem duas ponit Erithreas Sibyllas hanc priſcam, & aliam recentiorem nomine Athenaim, quam Alexandri temporibus fuiſſe ſcribit. Lactantius uero Sibyllam Erithream Babylone natam eſſe ait, & ſeſe Erithream appellari maluiſſe. Hanc Solinus cap. VII. Polyhiſtoris Heriphilem appellatam, pauloque poſt Troiana tempora floruiſſe ſcribit, de qua ſupra dixi; Huius etiam Aelianus libro uariae hiſtoriae XII. & Marcianus Capella mentionem faciunt

De Sibylla Cumaea

Tertiam autem Sibyllam CVMAEAM fuiſſe exiſtimo, de qua Naeuius in libris quos de primo bello Punico ſcriptos reliquit, & L. Piſo Cenſorius in annalibus mentionem faciunt. Haec in Italia uaticinata eſt paulo poſt excidium Iliacum, ut quidam tradunt, quam Italicam multi uocant, ex Cimerio Campaniae vicino Cumis oppido oriundam. Sunt qui ſcribant, hanc eſſe, ad quam Aeneam Ilio profugum diuertiſſe Virgilius fingit libro VI. Deiphobe appellata. De hac Marcianus ſcribit

De Sibylla Samia

Quarta porro Sibylla SAMIA fuit, de qua in antiquis Samiorum annalibus mentionem fieri Eratoſthenes uetuſtus auctor ſcripſit, Phyto uocata. Huius meminit Aelianus libro XII. variae hiſtoriae. Hanc Numae Pompilii temporibus fuiſſe circa XVI. olympiadem Euſebius ſcribit in chronicis, Hippomneme Athenis principe, Heriphilemque appellatam

De Sibylla Cumana

Quinta Sibylla CVMANA fuit nomine Amalthea quae ab aliis Demophile, uel Herophile nominatur, Suidas Hierophilem dicit. Fuit autē haec quae nouem, uel ut aliis placet, tres libros Sibyllinorum oraculorũ ad Tarquiniũ Superbũ detulit, de qua re latius paulo poſt dicam. Hanc Solinus cap. VII. Polyhiſtoris quinquageſima olympiade floruiſſe ſcribit, atq; eam poſt Delphicam, & Erithream uaticinatam fuiſſe tradit. Cuius ſepulcbrum ſua aetate in Sicilia manſiſſe refert. Eam uero non Eriphilem uocat, hac enim appellatione Erithream afficit, quam hac Cumana antiquiorem fuiſſe opinatur. Euſebius uero nec Erithream, nec Cumanam, ſed Samiam Herophilem uocatam ſcribit, quam Numa Romanorum rege uiuente, floruiſſe refert. Cumana autem Sibylla, ſi modo uerum eſt, eam fuiſſe, quae Superbo libros obtulit, vixit olympiade quinquageſima quinta

De Sibylla Helleſpontica

Sexta Sibylla HELLESPONTICA fuit, in agro Troiano, vico Marmiſſo nata circa oppi-

dum Gergithium, quam ſcribit Heraclides Ponticus, Solonis & Cyri fuiſſe temporibus, vixit autem olympiade LX

De Sibylla Libyca

Septima Sibylla LIBYCA fuit. Cuius meminit Euripides in Lamiae prologo. Hanc autem ante olympiadem octuageſimam uaticinatam fuiſſe ex hoc ſatis liquet, quod Euripides qui ea aetate uixit, eam commemorat

De Sibylla Perſica

Octaua poſt ſupra dictas Sibylla PERSICA fuit, cuius mentionē fecit Nicanor, qui res geſtas Alexandri magni Macedonum regis conſcripſit. Hanc ipſam Chaldeam uocat Iuſtinus martyr in admonitorio ad gentes libro, atq; eam ex Babilone profectam, eius Beroſi qui tribus libris Chaldaicam ſcripſit hiſtoriam, & Erimanthae nobilis mulieris filiam fuiſſe tradit. Beroſus autem Babilonius fuit, Belique in Babilone ſacerdos, ut refert Aſſyrius Tatianus in oratione contra Graecos, qui eundē Alexandri magni aetate uixiſſe, & Antiocho poſt Alexandrum tertio, Chaldaicā hiſtoriam, regumque geſta tribus libris digeſta obtuliſſe, ſcribit. Sunt qui hanc Sibyllam Hebraeam, eiusque propriū nomen Sambetha Noe fuiſſe tradūt, ex quadam vrbe prope rubrum mare ortam. Huius libri fuerunt quattuor ac viginti, in quibus de Chriſto deo, & eius aduentu innumera cecinit. Huius verſus (ut tradit Iuſtinus) paſſim legebantur imperfecti & interdū parum cohaerentes, non quidem uatis, ſed exſcribentium feſtinanter uitio, ita ut multa coniecturā opus eſſet, quod non ſine manifeſto dei conſilio accidit, ne egregia vaticinia ab indignis intelligerentur. Vixit autem olympiade CXX. Iuſtinus in libro gentium admonitorio hanc ipſam Cumanam etiam appellat, eamque, ex Babilone Cumas Italicas profectam tradit, ubi conſulentibus dei iuſſu oracula reddebat, ita ut Erithraea, Perſica, & Phrygia Sibyllae Cumaeae & Cumanae, aliquando dictae ſint

De Sibylla Phrygia

Nona uero Sibylla fuit PHRYGIA, quae uaticinata eſt Ancyrae, quam idcirco nono loco poſui quum quod tempus quo uixerit, reperire nō potui, tum etiam quod Lactantius, & eo longe prior Varro, eā nono loco numerauerunt. De hac Marcianus Capella ſcribit, quam eandem cum Cumaea eſſe arbritratur in agro Troiano natam

De Sibylla Tiburtina

Eadem ratio eſt de loco decimae Sibyllae, quam TIBVRTINAM uocant nomine Albuneam, quae Tibure ut dea ad Anienis ripas colebatur. Cuius in gurgite ſimulachrum eius inuentum eſſe dicitur, tenens in manu librum, cuius ſacra ſenatus in Capitolium tranſtulit. Has decem Sibyllas tradit ex Varrone Lactantius libro primo contra gentes cap VI

De reliquis Sibyllis

Fuerunt et aliae pleraeque extra decem numerū Sibyllae, ut COLOPHONIA quae dicta eſt Lampuſia Calcantis ſacerdotis, peritiſſimique auguris filia, cuius uaticinia et reſponſa carmine olim legebantur. Fuit et alia Sibylla nomine ELISSA, quae et ipſa carminibus uaticinabatur. Referri quoque poteſt in numerū Sibyllarum CASSANDRA Priami filia, quae patriae excidium praecinuiſſe fertur, conſulentibus que reſponſa dediſſe, de qua Virgilius libro II. Aeneidos ſic ſcribit

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, dei iuſſu non unquam credita Teucris

Fuit etiam Sibylla EPYROTICA Theſpiotiae nata, quae oracula ſcripſit. Item THESSALICA MANTO Tyreſiae uatis Thebani filia, qua fatidica a Virgilio appellatur. Poteſt etiam Sibylla dici CARMENTA mater Euandri Arcadis, multa enim uaticinatam fuiſſe ferunt. Et FAVNA uel FATVA Fauni Italiae regis ſoror et coniūx, quae Bona dea poſtea dicta eſt. Dubitauit Didius grāmaticus; an SAPHO Sibylla dici poſſit, ut eſt apud Senecam in ſtudiis liberalibus, & ſi alij eo loco non Sibyllam, ſed publicam legant. Omnium etiam Sibyllarum antiquiſſima dici poteſt DEBORA uxor Lapidoth mulier Hebraea de qua legitur Iudicum libro capite IIII. Cui addi poteſt MARIAMME ſoror Moſis & Aaron, ut legitur in Exodo capite XXII. & poſtremo OLDA Sellemi uxor, de qua paralipom. II. cap. XXXIIII. multa leguntur ſub rege Iudaeorum Ioſia

Harum fere omnium Sibyllarū carmina circumferri & legi aetate ſua refert Lactantius, praeter Cumanae, cuius libri a Romanis occulebantur: nec eos ab ullo niſi a XV. uiris inſpici fas erat. Erantque ſingularum ſinguli libri, qui quia Sibyllae nomine inſcribebantur, unius eſſe ſemper crediti ſunt, erantque confuſi ſimul, ac immixti, nec diſcerni, aut ſuus cuique Sibyllae aſſignari poterat liber, praeter Erithreae, quae & nomen ſuum carmini uerum inſeruit, & Erithream

ſe nominatam iri praeloquuta eſt. Nunc quidam liber Graecus Sibyllinorum oraculorum circumfertur octo libris digeſtus, quem eum eſſe exiſtimo, de quo plura Lactantius excepit, quum praeſertim omnes fere eos uerſus, quos de Chriſto citat Sibyllinos in eo reperiri conſtet.

Extant quoque Sibyllae Erithreae eius generis uerſus quidam qui acroſtichiſ uocantur. Hi ſunt apud Euſebiū Graeci in libro V. de uita Conſtantini Imperatoris, ijdemq; Latini facti apud diuum Auguſtinum libro XVIII. de ciuitate dei cap. XXIII. In quorum ſingulis capitibus ordo litterarum ita eſt diſpoſitus, ut in eis haec verba legantur IESVS . CHRISTVS . DEI . FILIVS SERVATOR . CRVX. Hique ab Euſebio eo loco Sibyllae Erithreae fuiſſe traduntur. Sic autem ſcribit: Sibylla igitur Erithrea, quae ſeipſam ſexta poſt diluuium generatione uixiſſe, & Apollinis ſacerdotem fuiſſe dicit, diadema ex aequo una cum deo, cui ſeruiebat geſtans, & tripoda circa quem ſerpens gyrabat colens, appropinquantesque ad ſe repellens propter dementiam parentum, qui eam tali cultui uouerant, intus in ipſis alioqui adytis, importuna ſuperſtitione occupata, diuina tamen inſpiratione referta, carminibus de Chriſto Ieſu uaticinata eſt, in ſerie primarum litterarum uerſuum. Haec autem ſententia eſt, quae & acroſtichis dicitur

IHCOYC . XPICTOC . ΘΕΟΥ . YIOC
CΩTHP . CTAYPOC . id eſt
IESVS . CHRISTVS . DEI . FILIVS
SERVATOR . CRVX

Carmina autem ſunt haec Latinae ſeruata quantum fieri potuit acroſtichi, reddita

I Iudicio telluris erit ſudoribus omen
E Erumpetque alto, carnem qui iudicet atque
S Suſpenſum (tanti eſt regis praeſentia) mundum
V Viderit inde omnis, uel ſi perſpecta fides eſt
S Siue haec nulla deum ſanctosque in finibus aeui
C Carnis amaſius, & pulpa ueſtitus amica
H Hic animis alba e ſella ius dicet, eritque
R Rerum campus inops, tribuli naſcentur, opeſque
I Inuiſae fient homini, atque iacebit imago
S Soluentur portae ſtigii Plutonis ab illo
T Tum quod uis iſta gaudebit luce cadauer
V Vir ſacer atque exlex flamma dignoſcitur, atque
S Scitur integrum quicquid tamen uſque latebat
D Ducet enim lampas, reſeratis frontibus intro
E Et multi plangent, multi ringentur, & aſtra
I Inducent choreae legem, facies tum Solis opaca
F Flexum erit & caelum, nulla quoque luce Diana
I Implebit ualles, & caſſa cacumina reddet
L Labentur colles hominum faſtidia, toti
I Incipient aequor fieri montes, mare demum
V Veliuolum nulli, quum tellus fulmine areſcet
S Subſident fontes, & nuſquam fluminis horror

S Suſpectum caelo ſonitum dabit aere recuruo
E Eiulans turba perniciem mundique labores
R Recludetque chaos immenſum terra dehiſcens
V Vndique conuenient reges, ſedemque uidebunt
A A caelo riuus flammae, unde ſulphuris atri
T Tum bene iactandum indicium mortalibus atque
O Optatum cornu ſignum, cum gente fideli
R Res aeque una piis uita, orbique inſitus error
C Clara duodenis illuſtrans fontibus unda
R Roboreumque pedum toto dominabitur aeuo
V Verſibus exſcriptus deus his primo relictura eſt
X Xenophilus noſtra cauſſa rex ultima paſſus

Ab altero vero ſeruata linguae Graecae acroaſtichi ſic uerſi ſunt

I Iudicii ſigno, tellus ſudore madeſcet
H E caelo ueniet princeps per ſaecla futurus
C Scilicet ut carnem praeſens, & iudicet orbem
O Omnis homo hunc fidusq; deum, infidusq; videbit
Y Vna cum ſanctis excelſum fine ſub aeui
C ſede ſedens animas cenſebit corpora,& ipſa
X Cherſos erit mundus, ſpinas feret undique tellus
P Reiicient ſimulachra homines, & munera Ditis
I Inquirens portas infringet carceris atri
C Sic etenim cunctae ueniet lux libera carni
T Tunc ſanctis: Ignis ſontes aeternus aduret
O Occultos actus omnes tunc quiſque loquetur
C Sed tenebroſa deus colluſtrans pectora pandet
Θ Threnus erit cunctis, & ſtridor dentis adeſi
E Effugiet Solis iubar, aſtrorumque choreae
O Omne poli lumen ſoluetur, & aurea Luna
Y Valles extollet,colleſque a uertice perdet
Y Vſquam nec celſum mortalibus aut graue quicquuam
I Inde aequi montes campis, hinc caerula ponti
O Omne ratis ſpernent onus, hiſcet fulmine tellus
C Sic fontes ſimul areſcent, & fluminis aluei
C Stridula tum querulum ſonitum tuba fundet olympo
Ω Orbis grande malum rugiens, & damna futura
T Tartareumque chaos monſtrabit terra deiſcens
B Et uenient omnes reges domini ante tribunal
P Refluet e caelo tunc ſulphuris amnis & ignis

Sic

C Sic cunctorum hominum fient manifeſta ſepulchra
T Tunc lignum fidis erit exoptabile cornu
A Atq; piorum uita hominum nocumentaq; mundi
Y Vndis luſtrabunt biſſeno in fonte vocatos
P Rex paſtor is erit nobis, & ferrea virga
O Omnipotens deus eſt praeſcriptus uerſibus iſtis
C Seruator noſtro aeternus rex paſſus amore

Haec autem ſunt carmina quae Sibylla Erithrea de Chriſto cecinit. Multi uero fuerunt qui, quamquam omnia de Sibylla Erithrea tradita uera eſſe credant, hos tamen uerſus propter rei clariſſimum argumentum confictos eſſe ſuſpicati ſunt ab aliquo religionis Chriſtianae uiro, poeticesque non ignaro. Quod nulla ratione fieri potuiſſe, uel ex hoc maxime liquet, quod diu ante Chriſti natalem edita fuiſſe comperiuntur. Conſtat enim M. Tullium uerſus hos legiſſe, commentariisque ſuis inſeruiſſe. Quos Euſebius Caeſarienſis ſe uidiſſe profitetur. Hanc opinionem confirmat: Sibyllas multa per uerſuum initia ſignificare conſueuiſſe, ut ſecundo de diuinatione docet Cicero, qui de Sibyllis loquens ſic ſcribit: Non eſſe autem illud carmen furentis, qum poema declarat. Eſt enim magis artis & diligentiae quam concitationis motus, tũ uero ea quae ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps ex primis uerſus litteris aliquid connectitur, ut in quibuſdam Ennianis, quae Ennius fecit, id certe magis eſt attenti animi, quam furentis, atq; in Sibyllinis ex primo uerſu cuiuſq; ſententiae primis litteris illius ſententiae carmen omne praetexitur, hoc ſcriptoris eſt non furentis, adhibentis diligentiam non inſani. Ita Cicero: Hoc etiam ſubſignificare uidetur Virgilius IIII. Aecloga qunm ſcribit

Vltima Cumaei uenit iam carminis aetas

Scilicet tempus, quo uaticinium tendebat certis erat litteris inſertum. Atque hactenus de Sibyllis

Porro autem quaenam fuerit Sibylla cuius carminibus fata Romana continebantur non admodum conſtat, quidam Cumanam putant ut Virgilius Aecloga IIII

Vltima Cumaei venit iam carminis aetas

Et libro VI. Aeneidos, vbi eam Deiphoben Glauci filiam uocat, niſi de Cumaea ipſe loquatur. Glaucus autem uates fuit diuinandi ſcientiſſimus, qui eam artem Apollinem ipſum docuit. Eam Heriphilem appellat Suidas, ab aliis Amalthea uocitata. Varroni autem, quem hanc rem etiam ipſum diligenter quaeſiiſſe ferunt, non uidetur ueriſimile uatem illam quam Aeneas conſuluerit, potuiſſe pertingere Romana regna, quum ſexcentis annis ante Tarquinium uixerit, ideo Erithream potius ſuiſſe putat, quae etiam de Romanis cecinerit, hoc nimirum argumento ductus, quod poſt incenſum Capitolinum templum, in quo oracula Sibyllina ſeruabantur, apud Erithras ipſamet carmina inuenta ſunt. Hanc autem eſſe non potuiſſe Erithream Sibyllam, eodem Varronis argumento ductus opinor, quippe quae Apollodoro Erithreo auctore, tempore belli Troiani uixerit. Et quamquam Euſebius eam primis annis Romuli referat, ad Tarquiniorum tamen tempora eam peruenire non potuiſſe facile credi poteſt, quorum Priſcus centeſimo anno poſt Romuli obitum, regnare Romae cepit. Nec Varronis argumentum obſtat, libros Sibyllinos incendio conſumptos ex Erithris Romam iterum relatos ſuiſſe, quum ſatis conſtet, eos ab antiquis diuerſos fuiſſe. Ego uero eiuſdem Varronis auctoritate fretus duas Sibyllas eodem fere cognomine fuiſſe exiſtimo, Cumaeam & Cumanam. Cumaea ea eſt, quae Cumis uaticinata eſt tempore belli Iliaci, ex Cimerio Campaniae oppido orta, ad quam Aeneam diuertiſſe Maro refert. Cuius & Dionyſius libro IIII. meminit. Cumana autem eſt, quae Cumis oriunda longo tempore poſt uixit, libroſque Tarquinio obtulit, de qua Solinus plura ſcribit. Cumis enim plures mulieres longo & perpetuo tempore, uaticinatas fuiſſe reor, quae omnes Sibyllae uocitatae ſunt, quae illuc proficiſcebantur, uel ut peritiores diuinandi fierent, Apollinis oraculis, quem illic maximum templum cum ſpecu habuiſſe conſtat: uel ut eius ſacris praeeſſent, quae non niſi a mulieribus perfici mos erat, quae omnes poſtea ab urbe proxima, ſiue Cumaeae, ſiue Cumanae uocatae ſunt. Ariſtoteles namque, & Marcianus Erithream ipſam etiam Cumis diuinaſſe ſcribunt, eamque aliquando Erithream, aliquando Cumanam uocant. Ariſtoteles quidem in libro de naturae miraculis (ſi modo eius eſt, nam hoc in dubium uertitur) ſpelũcam narrat eſſe Cumis vrbe Italica, vbi Sibyllae domicilium fuiſſe tradit, quam multi Erithream eſſe putant, & incolae Cumaeam nominant, haud dubie patriae fa

uore

uore, aut certe de alia ſentientes. Marcianus uero Capella Erithream Cumis uaticinatam eſſe ſcribit, Italicis credo, ut auctor eſt Ariſtoteles, quippe ſunt etiam Cumae Ionicae, ubi & Erithrae. Haec forte eſſe potuit ea quam Virgilius libro VI. Cumaeam uocat ab Aenea conſultam. Cumana enim quae libros Tarquinio uendidit, non eam eſſe exiſtimo de qua Virgilius ſcribit, quod neque etiam ipſe affirmat. Idem Marcianus Sibyllam Phrygiam aliquando etiam Cumaeam appellat. Ita igitur cum uariae, incertae, & inconſtantes ſunt ueterum ſcriptorum de Sibyllis ſententiae fit, ut neque ego quicquam affirmare auſim. Quamquam autem incertum ſit, quonam nomine appellata fuerit, quae libros Tarquinio attulerit, eam tamē omnium ſcriptorum, concordi teſtimonio, ſatis inter omnes conuenit Sibyllam unam fuiſſe, cuius libros Tarquinio oblatos Romani ſumma religione, ac obſeruantia cuſtodiebant. Qui qua ratione Romanis allati fuerint, nunc ex Varrone, Dionyſio, Solino, Plinio, Gellio, Lactantio, Seruio, & Suida exponam

Anus hoſpita atque incognita, quae poſtea conſtanti omnium opinione Sibylla Cumana credita fuit, nomine Amalthea, Tarquinium Superbum regem Romanum adijt nouem libros ferēs, quos Sibyllinis oraculis plenos eſſe affirmabat, eoſq; uelle ſe uenundare dixit. Tarquinius precium percunctatus, mulier trecentos Philippeos popoſcit, rex autem quaſi anus aetate deſciperet, inriſit, aſpernatuſq; libros eſt ob precij magnitudinem. Tum illa foculo coram eo accēſo, tres libros ex nouem combuſſit, ſiue ut Dionyſius tradit, a regis conſpectu diſcedens, eos igni tradidit, reuerſaq; nunquid reliquos ſex libros eodem precio, emere uellet regem interrogauit. Tarquinius autem multo magis inriſit aniculae demētiam, eamq; delirari reſpondit, quod idem peteret de paucioribus precium, quod nec de pluribus accipere potuiſſet: tum mulier ſtatim coram rege, uel ut ait Dionyſius diſcedens, tres alios combuſſit. Reuerſaq; illum denuo placide interrogauit, an tres reliquos eodem illo precio emere uellet, rex mulieris conſtantia commotus, eam mulieris confidentiam non omnino aſpernendam eſſe exiſtimauit, quare auguribus accerſitis eis rem per ordinē enarrauit, atq; quid agendū eſſet popoſcit. Illi autem ex quibuſdā ſignis intelligentes, rem illam neceſſariā, a dijſq; in vrbis ſalutem miſſam, regi reiectione illa librorum magnā iacturam factā eſſe demonſtrantes, quod non omnes emiſſet, eum reliquos emere hortati ſunt, dato precio quod depoſcerat anus. Quare rex libros tres reliquos Sibyllinorum oraculorū plenos mercatus eſt nihilo minore precio, quam quod erat petitum pro omnibus. Mulier igitur dans ei libros diligenter ſeruandos eſſe praemonuit, quae quum a Tarquinio diſceſſiſſet, poſtea nuſquam amplius uiſa eſt quapropter, iam tum credi coeptum, eam Sibyllam fuiſſe Cumanam, cui quemadmodum poeta ait: Magnam mentem animumque Delius inſpiraſſet deus: Sunt quidam auctores; qui libros non Superbo, ſed Priſco Tarquinio oblatos ſcribunt, inter quos eſt Varro apud Lactantium libro I. & ex recentioribus Suidas. Solinus uero quamquam libros Superbo uenditos fuiſſe affirmet, Sibyllam tamen quae eos vendidit, olympiade quinquageſima uixiſſe ſcribit. Quod ſi ita eſt, Priſco regi libros uendidit non Superbo. Nam in quinquageſimam olympiadem mors Priſci Tarquinii incidit. Quare Varroni potius credendum exiſtimo quā aliis. Plinius uerò lib. XIII. cap. XIII. tres libros non nouem fuiſſe ſcribit, quos oraculorū plenoa Sibylla Tarquinio attulit, ac combuſtis duobus tertium ſuperfuiſſe. Suidas nouem libros tradit, eoſque oraculorum peculiarium uocat, hoc eſt ad certum aliquem populum ſpectantiū, ſed combuſtos tantum duos, reliquos omnes ſuperfuiſſe. Ceterum hi libri, quos ſiue Priſcus, ſiue Superbus Tarquinius emit, ab ipſo in Capitolio, Iouiſq; optimi maximi templi ſacrario, in arca lapidea ſub terra poſtea reconditi, Sibyllini deinceps appellati ſunt, religioſiſſimeque ibidem ſeruati. Horum librorum cuſtodia II. viris primum, deinde X. viris, poſtremo XV. uiris ſacris faciundis commiſſa fuit, eoſque ab aliis praeter eos aſpici, aut legi neſas erat, ut Lactantius tradit, atque ut paucis uerbis multa comprehendam, nihil Romani, neque ſanctum, neq; ſacrum, ita cuſtodiebant quemadmodum haec Sibyllina diuinitus (ut exiſtimabant) miſſa oracula; & quum dii immortales de rebus aduerſis conſulendi eſſent, remediumque aliquod malis querendum, uti de aliqua inteſtina, ciuilique ſeditione, uel bello externo, aut peſtilentia vrbē uexāte tollenda, de funeſtorum, exitiabiliumque caſuum remediis, ut Cannenſis cladis, pacis Caudinae, de prodigiis expiandis, ceteriſque rebus aduerſis, hos libros quaſi ad oraculum praeſentaneumque remedium XV. viri ſacris faciundis adire ſolebant, in his omnium malorum remedia inueniri poſſe exiſtimabant. Ceterum is Tarquinius qui eos emit, ut eos in manibus habuit ſtatim duos uiros creauit ex illuſtrioribus patriciis cui horum librorum cuſtodiam tradidit, appellatique ſunt II. viri ſacris faciundis. Ex quibus alterum nomine M. Atilium, quod is libros ſecreta ciuilium ſacrorum continentes cuſtodiae ſuae commiſſos, corruptus Petronio Sabino deſcribendos dediſſet, culeo inſutum in mare abiici iuſſit, Horum II. virorum munus erat, hos ſacros libros cuſtodire, quoties opus eſſet adire, legere, interpretari, & quae iubebantur, ut perficerentur curare. Apollinis ſacrarumque caerimoniarum antiſtes eſſe, & quoties fames, peſtilen-

tiae

tiae, bella ciuilia et externa urbem uexare contigiſſet, uel prodigia aliqua nuntiata eſſent apparuiſſe, eorum omnium malorum ex oraculis Sibyllinis remedia inuenire, lectiſterniis ad deorum puluinaria factis, deum iram placare, proſpera omnia precari, aduerſa ut tollerentur rogare, et poſtremo deos omnes iratos ſacrificijs factis mitigare. Vide quaeſo lector, quantam ſibi malus daemō in orbe terrarū uendicauerat poteſtatem. Ex qua, Ieſu Chriſti gratia depulſus, beati nos & felices ſumus, quibus tot tenebris & errorum inuolucris liberatis ueritatem agnoſcere conceſſum eſt. Porro de his ſacerdotibus ita libro IIII. ſcribit Dionyſius: Poſt eiectionem autem regum, aſſumens ciuitas oraculorum patrocinium, uiros etiam illuſtriſſimos cuſtodes eis deſignauit, qui per omnem uitam eam curam haberent, militia & alijs vrbanis muneribus immunes, publiceq; apud eos libros depoſuit, ſine quibus non permiſit oracula aſpici Sibyllina. Hi ſeruos de publico ſumptu habebant. Romani autem nihil ita cuſtodiunt neq; ſanctum neq; ſacrum, quemadmodum Sibyllina diuinitus oracula miſſa. Ea autem adeunt ex S.C. ſeditione ciuitatem tenēte, aut calamitate aliqua magna bello incidente, aut prodigijs aliquibus apparentibus qualia ſaepe euenire ſolent. De II. viris ſacrorum frequens apud Liuium mentio eſt ante primum conſulem de plebe creatum. Libro III. Libri Sibyllini per duum uiros ſacrorum additi. Lib. IIII. Obſecratio itaque a populo II. viris praeeuntibus eſt ſacta. Et paulo poſt: Multa II. viri ex libris placandae deum irae auertendaeque a populo peſtis cauſſa fecere. Et libro V. libri Sibyllini, ex S.C. additi ſunt. II. viri ſacri faciundis lectiſternio tum primum in urbe facto, &c. Ceterū quum multo tempore duo, ad hoc ipſum ſacerdotium uiri tantum creari ſoliti eſſent, ac plebs de ſuo quoque corpore conſules creari ambiret, neque ad hoc ipſum ſatis virium eſſet, obtinuit tandem, ut qui II. viri in eam diem uſque creati fuiſſent, decem uiri deinceps ſacris faciundis eo iure quo II. viri fieri ſolebant, crearentur. Quare anno urbis CCCXXCVIII. lege lata a tribunis plebis C. Licinio & L. Sextio, ex II. viris X. uiri facti ſunt, ſimulq; lege cautum, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret, quam legem decimo ſui tribunatus anno pertulerunt; quinque igitur e patribus totidemque e plebe lecti, qui X. viri ſacris faciundis deinceps uocati ſunt. Poſt quod tempus uſque ad L. Sullae Felicis dictaturam, fuerunt X. uiri ſacris faciundis, de quibus toties mentio eſt apud Liuium. A Sulla uero dictatore XV. uiri S. F. facti ſunt. Quod hac ratione oſtendi poteſt. Ciceronis aetate erant XV. uiri ſacris faciundis, qui adhuc erant decem uiri eo anno quo Capitoliū arſit, paulo ante Sullae dictatoris tēpus L. Scipione & L. Norbano coſ. anno vrbis DCLXXI. Atq; poſt eum annū in ſacerdotū collegiis nuſquā legitur quicquā eſſe mutatū, niſi in dictatura Sullae, relinquitur ergo ut haec XV. uirorū inſtitutio a Sulla facta eſſe credatur, praeſertim quū aliis ſacerdotū collegiis legatur adiecisse aliquot ſacerdotes, ut auguribus & pontificibus. Fuiſſe uero Ciceronis aetate XV. viros ex IIII. Coelii ad Ciceronem epiſtola intelligi poteſt, in qua ipſe ad Ciceronem ſcribit, P. Dolabellam populi ſuffragiis factum XV. uirum. Tranquillus quoque in Caeſare. Proximo autem ſenatu percrebuit fama, L. Cottam XV. uirū ſententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos niſi a rege non poſſe uinci, Caeſar rex appellaretur. Quod uero decemuiri ſacrorum adhuc eſſent eo anno, quo Capitolium crematum eſt, ex uerbis Dionyſii libro IIII. intelligitur. Qui ait: libros Sibyllinos qui adhuc a X. viris ſeruabantur incendio Capitolii fuiſſe crematos, quod anno ante Sullae dictaturā conflagrauit. De XV. uiris ita ſcribit libro XI. Tacitus: Ludis ſaecularibus Domitiani intentus affui, ſacerdotio XV. uirali praeditus, ac tum praetor, quod non iactantia refero, ſed quia collegio XV. uirum antiquitus ea cura, & magiſtratus potiſſimum exequebantur officia caerimoniarum. Et Seruius interpretans illud Virgilii

. . . Lectosque ſacrabo

Alma viros. . ait ſic: Primo fuerunt duo librorum Sibyllinorum cuſtodes, inde X. inde XV. uſque ad tempora Syllana, poſt creuit numerus uſque ad LX. Sed remanſit XV. uirum uocabulum. Poſt Sullam idem ſacerdotium manſit uſque ad Theodoſii tempora, quibus cum ceteris ueteris ſuperſtitionis ſacris abrogatum eſt. Porro autem ex eo epiſtolae Coelii loco, quem citaui colligi poteſt, populi ſuffragiis ſacerdotes huius collegii aliquando creatos, idque per legem Domitiam. Nam quod a collegiis ante eam legem cooptarentur, paſſim in Liuii hiſtoria legitur ubi de ſuffectis in demortuorum locum ſacerdotibus loquitur. Horum munus erat, libros Sibyllinos cuſtodire, quum ex S. C. adeundi eſſent adire, & quae legiſſent ſenatui renuntiare, & ea S. C. decreta procurare, ludos ſaeculares celebrare, & poſtremo omnia peragere quae Sibyllinorum carminum iuſſu facienda erat. De his frequens mentio eſt in uetuſtis monumentis ſic

HERCVLI . INVICTO
M . CASSIVS
HORTENSIVS
PAVLLINVS . PR . VRB
XV . VIR . SACRIS
FACIVNDIS
DONVM . DEDIT

AVRELIO . VICTORI
XV . VIR . SACR . FAC
LEG . AVGG . PRO . PR
PROV . PAN . INF
PATRON . R . P . H . V
D . D

item

IVNIO.POSTVMIANO.V.C.P.P
DEI . SOLIS . INVICTI . MITHRAE
XV . VIRO . S . F . PONTIFICI
DEI . SOLIS . ORDO . SACER
DOTVM . MAGISTRO . SVO
CVRANTE . ET . DEDICANTE
FLAVIO . HERCVLEO . VIRO
RELIGIOSISSIMO

item

PHOSPHORII

LVCIO . AVR . AVIANIO . SYMMACHO . V . C
PRAEFECTO.VRBI.CONSVLI.PRO.PRAFECTIS
PRAETORIO . IN . VRBE . ROMA . FINITIMIS . QVE
PROVINCIIS . PRAEFECTO . ANNONAE . VR
BIS . ROMAE . PONTIFICI . MAIORI . QVINDE
CEMVIRO . S . F . MVLTIS . LEGATIONIBVS
PRO . AMPLISSIMI . ORDINIS . DESIDERIIS
APVD . DIVOS . PRINCIPES . FVNCTO . QVI
PRIMVS . IN . SENATV . SENTENTIAM . ROGA
RI . SOLITVS . AVCTORITATE . PRVDENTIA . ATQVE
ELOQVENTIA . PRO . DIGNITATE . TANTI . ORDI
NIS . MAGNITVDINEM . LOCI . EIVS . IMPLEVE
RIT . AVRO . INLVSTREM . STATVAM . QVAM
A . DOMINIS . AVGVSTISQ . NOSTRIS . SENATVS
AMPLISSIMVS . DECRETIS . FREQVENTIBVS . IN
PETRABIT . IDEM . TRIVMPHATORES . PRINCIPES
NOSTRI . CONSTITVI . ADPOSITA . ORATIONE . IVS
SERVNT . QVAE . MERITORVM . EIVS . ORDINEM
AC . SERIEM . CONTINERET . QVORVM . PERENNE
IVDICIVM . TANTO . MVNERI . HOC . QVOQVE . AD
DIDIT . VT . ALTERAM . STATVAM . PARI . SPLEN
DORE . ETIAM . APVD . CONSTANTINOPOLIM
CONLOCARET

in ſiniſtro baſis latere.

DEDICATA . III . KAL . MAIAS
D . N . GRATIANO . IIII . ET . MEROBAVDE . COS

Porro autem ut ad libros Sibyllinos redeamus Perdurarunt hi libri uſque ad belli Marſici, ſiue ſocialis tempora. Quibus Olympiade CLXXIII. C. Norbano, & P. Scipione cos. incenſo Capitolio ſiue ex inſidijs (ut quidã exiſtimãt) ſiue caſu ſimul cum alijs ſacris Sibyllina etiam carmina incendio conſumpta ſunt. Reſtituto uero a L. Cornelio Sulla Felice dictatore Capitolio, & a Q. Catulo templo Iouis Capitolini dedicato, ut Feneſtella diligentiſſimus ſcriptor, in libro quem de XV. uiris edidit, refert, C. Scribonius Curio & Cn. Octauius cos. ad ſenatum rettulerunt ut legati Erithras, & ad cetera Italiae, Greciae, & Aſiae oppida mitterẽtur, qui carmina Sibyllarum, & preſertim Erithreae conquiſita Romam deportarẽt. Itaque miſſos eſſe ſcribit P. Gabinium. M. Otacilium Craſſum, & L. Valerium Flaccum. Hi ex omnibus ciuitatibus quum Italicis, tum Graecis, & precipue ex Erithris, circa mille uerſus a priuatis deſcriptos collegerunt, Romamq; eũ cuiusq; Sibyllae nomine deportarunt. Haec eadem Varro refert. Quibus carminibus ab hominibus rudibus tranſcriptis, multa ſuperflua inſerta inuenta ſunt, in alijs uero mutila quaedam,

aut

aut deprauata, quare ut ipſorum carminum ſyncerior lectio eſſet, datum eſt negocium XV. Viris S. F. quorum iudicio ac cenſura hi uerſus corrigerentur, eaque mendis omnibus, ſententijsque ſuperfluis ademptis, componerent; quod ab ijs accuratiſſime factum eſt. Hi autem poſteriores libri non unius Sibyllae carmina putanda ſunt, ut priores, ſed plurium, quamquam unius ſemper Cumanae, uel Cumaeae nomine appellati ſunt. Quod etiam Dionyſius libro IIII. Lactantius libro I. & alij plerique docent. Tacitus quoque idem ſignificat quum ait: Quum eo tempore multa uana carmina nomine Sibyllarum circumferrentur, Tiberius iuſſit conquiſita Samo, Erithris, Ilio, Africa, & per Italicas colonias carmina intra certum diem ad praefectum vrbis L. Piſonem adferri, & iudicium cenſuramque XV. Virorum adhiberi, ne haberi priuatim liceret, quod iam a maioribus erat cautum. Libros autem Sibyllinos uſque ad Honorij & Theodoſij iunioris imperatorum tempora, Romae perduraſſe conſtat. Quibus Fl. Stilico imperatoris Honorij ſocer, quum ab eo defectionem moliretur, filioque ſuo Eucherio imperium comparare ſtuderet, concitaturus in generum imperatorem ſeditionem, uerſus omnes Sibyllinos cremauit, cuius rei meminit ita Rutilius Claudius Numatianus itinerario ſecundo

Nec tantum Geticis craſſatus proditor armis
Ante Sibyllinae fata cremauit opis

Vel ut alibi legitur

Ne tantum patrijs ſaeuiret proditor armis
Sancta Sibyllinae fata cremauit opis


Quare quum Sibyllinorum oraculorum interitu, XV. uirorum quoque ſacerdotium ſublatũ eſt. Atque haec ſunt quae tam de Sibyllis quã oraculis Sibyllinis et XV. Viris ſacris faciundis, apud ueteres auctores extare didicerim. Sed antequã operi extremam manum imponam, non alienum erit, hoc loco referre que Iuſtinus de antro Sibyllae Cumanae, uel Cumaeae tradit quod Puteolis ſe uidiſſe ſcribit. Ipſe enim in libro ad gentes admonitorio narrat: quum Cumas Campaniae animi gratia aliquando petijſſet, non longe a Baijs Sibyllae domicilium ſe uidiſſe, id erat maxima Baſilica tota in lapide inciſa, opus quidem eximium, & omni admiratione dignum. Vbi Sibyllam olim oracula edere ſolitam fuiſſe incolae referebant, idque ſe a maioribus ſuis accepiſſe teſtificabantur. Oſtendebanturque (ut ille ait) adhuc, uaſa tria in templi medio in eodem lapide inciſa, quibus aqua repletis lauabatur, acceptaque ſtola in abditiſſimam eius templi partem, in eodem lapide fabrefactam ſeſe includens, thronoque, ſiue alta ſede in eodem lapide excauata conſidens, oracula reddebat. Templum hoc uſque ad noſtram aetatem perdurauit. Anno enim ſalutis ∞ DXXXIX. terraemotu ingenti Campania terra quaſſata, Puteolis minutiſſimo puluere, cinereque e mari ſurgente totum coopertum eſt, colliſque ſatis editus enatus eſt, ubi olim celeberrimum Sibyllae fanum fuerat. Mihi autem Puteolos Baiasque anno domini ∞ DXLIIX profecto, accolae quos regionis peritos mercede conduxeram, & templi locum, & formam, & ea omnia fuiſſe narrabant, quae Iuſtinus mille trecentis annis ante ſe uidiſſe ſcriptum reliquit, antequam arcanum id, templumq; ingens terraemotus ui terra obrutum eſſet

FINIS

ONVPHRII · PANVINII VERONENSIS . FRATRIS EREMITAE . AVGVSTINIANI

DE . ANTIQVIS . ROMANORVM NOMINIBVS . LIBER

CVM . PRIVILEGIIS



VENETIIS


Ex Officina Eraſmiana, apud Vincentium Valgriſium

M D LVIII

ONVPHRII · PANVINII VERONENSIS . FRATRIS EREMITAE . AVGVSTINIANI

DE . ANTIQVIS . ROMANORVM NOMINIBVS . LIBER

CVM . PRIVILEGIIS



VENETIIS
Ex Officina Erasmiana, apud Vincentium Valgrisium
M D LVIII

ONVPHRIVS . PANVINIVS

VERONENSIS . FRATER . EREMITA AVGVSTINIANVS

F . HANNIBALI . CARO . EQVITI HIEROSOLYMITANO S . P . D

VNvs hic ſupererat de antiquis Romanorum nominibus liber Hannibal Care vir ornatiſſime, quem ut vniuerſum hoc Faſtorum opus abſoluerem, etiam publicare conſtitui. Ad integrum enim hoc corpus conficiendum tantum hìc liber deeſſe videbatur, in quo de omni antiquorum nominum Romanorum ratione diſputarem, atque eius quaeſtionis occaſione, quae de familijs Romanis paulo ante collegi, afferrem. Res haec in tota antiquitate Romana, difficilis atque obſcura in primis eſt, atque ad hos quos ſcripſi Faſtos intelligendos maxime neceſſaria. In qua etiam poſtquam de praenominum, nominum, & cognominum ratione, atque horum differentijs diſputauero, de gentibus quoque & familijs Romanis verba faciam: atque in primis illud oſtendere conabor, quae ex Albanis, quae ex Sabinis, quae ex Tuſcis, quae ex Latinis, & quae ex alijs regionibus Romam commigrarunt. Item quae ex his, aut a quo in patricias allectae fuerunt, & quae plebeiae remanſerunt. Ad haec qui patricij maiorum gentium, qui minorum; qui patres, qui conſcripti fuerint. Qua in re explicanda ſummos etiam uiros labaſſe animaduerti. Quae omnia antiquitatum ſtudioſis non iniucunda fore exiſtimo, quum hae res nunc ualde obſcurae, & tenebris antiquitatis obrutae ſint. Cuius laboris, ſi quid tamen in eo erit cognitu dignum, tibi uni praecipue acceptum referre omnes debebunt fructum, quum ea omnia quae in ipſo continentur, & tecum contulerim, & tui praecipue cauſſa publicare decreuerim. Quem & omnium amicorum optimum ſenſi, & virum eruditiſſimum, modeſtiaque, probitate, & excellenti uirtute praeditum expertus ſum. Nullo enim maiore argumento meam erga te obſeruantiam teſtificari poſſe exiſtimaui, quam rem ardentiſſime ſemper exoptaui, quam hac huius libri nuncupatione. In quo de

eo potiſſimum argumento diſputatur, cuius ſtudio te teneri ſcio. Quod & ſi forte melius tractari potuiſſet, hunc tamen laborem te boni omnino conſulturum, pro tua humanitate mihi maxime perſuadeo, quum maxima excuſatione dignus ſit, qui in quocunque diſputationis genere, quod potuit ſine ulla laboris detrectatione praeſtare conatus ſit. Vale

Venetijs Kal. Septembris

∞ D L V I I I

ONVPHRII . PANVINII

VERONENSIS . FRATRIS . EREMITAE AVGVSTINIANI

DE . ANTIQVIS . ROMANORVM NOMINIBVS ; LIBER

DIFFICILIS admodom(nt dixi)atque ioter omnes res quae in Romana antiquitate tractari ſolent, obſcura eſt ueterum nominum apud Romanos ratio, quae & ad hos quos ſcripſi Faſtorū libros, in quibus nō niſi fere praenomina,nomina, & cognomina deſcribuntur & ad ueteres ſcriptores,antiquitatemque omnem intelligendam maxime pertinere uidetur. Quare hoc libro mihi ipſe conſtitui, latiſſime de illorum ratione diſputare, & quid de iiſdem inuenerim exponere, multaq; ueterum monumentorum ope, quae iam cognoſci deſierant reſtituere. Pleraque enim erant qoae aut temporis uetuſtate, aut librariorū uitio,adeo corrupta,& deprauata fuerāt,ut agnitionem ſui omni ex parte amiſiſſe uiderentur. Quum enim Romanos homines duobus primum, deinde tribus, ant quattuor etiam nominibus uſos ſuiſſe repererim, qnorum unom praecipoe nomen, alterum praenomen, cetera omnia cognomina appellauerint; aıque aliquando praenomine tantum; aliquando praenominae, & cognomine; aliqoando oero praenomine, & nomine, aut horum altero ſe nuncnpauerint, oon paruam dederunt his, qui oon ita in antiquitate uerſati ſunt,dubitandi occaſionem. Quae omnia, ot quantum a me fieri poſſet, illuſtrarem, & reſtituerem,hoc opus aggreſſus ſum. De praenominibus itaque,nominibus,& cognomioibus diſputaturus, ante omoia, quo faciliorem intelligendi rationem tradam, quid unumquodque horum ſit, quantum ad nocem ſolum attinet, ipſorum deinde rationem exponam. Aliquot autem exemplis priorem partem declarabo. QVINCTVS. FABIVS. MAXIMVS. VERRVCOSSVS. OVICVLA. CVNCTATOR. Item. PVBLIVS. CORNELIVS. SCIPIO. AFRICANVS. AIMILIANVS. Item C. IVLIVS. CAESAR. STRABO. Iıem M. TVLLIVS CICERO. In hiſce exemplis Quinctus, Publius, Caius, & Marcus, quae praeponuntur praenomina ſunt; Fabius, Cornelius, Iulius, & Tullius nomina, quae quum familiae propria ſint gentilicia dicuntur; celera omnia quae Fabio,Cornelio,Iulio,& Tullio poſtponuntur,cognomina ſunt. Ita nt ſingulas perſonas nō niſi ſingulis praenomine,& nomine,pluribus nero cognomioibus vti poſſe manifeſtū ſit. Ceterū qnum in harū vocum doctrina tradenda, duplicem ordinem ſeruari poſſe animaduerterim,quorum alıer naturaė, vel ortus; alter uero vſus appellatur, atque nomen naturae, uel origiois ordine ceteras uoces praecedat (eteoim nt ſimplicia iunctis antiquiora ſunt, atque priora, ita ſi praenomen id eſt,qnod nomini praepoſitum eſt,ut ante ſit nomen quam praenomen neceſſe eſt) ortus ego & naturae rationem qui commodior ordo eſt, non uſus ſeqnuturus, primum de nomine,deinde de praenomine, & poſtremo de cognomine diſputabo. Nam ſi naturam harum uocum ſpectes, praenomeo quidem ſecundum eſt, ſi uſum uero primum. Natutam igitur in origine & ratione horom vocabulorum tradenda ſpectare decreui, atque ante omnia de oomine gentilicio uerba facere

De nomine latiore ſignificato accepto

Nomen itaque, auctore Nonio Marcello,dicitur proprium uocabulum ſingulorum; hoc eſt, ea uox qua una quaeque res appellatur, quaſi nouimen, ut ait Sex. Pompeius; a noſco deriuatū, quod notitiam faciat; nam per id quiequid nominamus agnoſcitur. Sunt tamen qui nomē quaſi notamen uocatum uelint, oel a Graeco quod eſt ὄνομα, abiecto o, a quo onomatopeia, hoc eſt, nominis fictio, dicta eſt,cum a ſono aliquo ſeu uoce nomina fingamus; quae Latine fictitia dicuotnr, ut balatus ouium, mngitus boum, barritus elephantorum, & ſimilia. A nomine nomino nominas uerbom dedueitur, quod eſt nomen alicui rei imponere, quod dupliciter fit, aut enim uniuerſo generi, ſen ſpeciei nomen imponitur, quod grammatici nomen appellatiuum uocant, ut cum animal, hominem, leonem, equum, bonem, & aſioum dieimns; aut ſingulis rebus peculiare nomen damus, quod illi cum alıo non ſit commune; quod a grammaticis nomen proprium appellatur. Hoc autem duplex eſt, aut enim tribuitur particulari rei anima ca-

 renti

renti,aut particulari animali; quod item duplex eſt; etenim uel rationali, uel rationis experti. Nomen autem proprium, quod rationali animali inditum eſt, ſic definiri ſolet a Cicerone, Nomen eſt quod vnicuique perſonae tribuitur,quo quaeque ſuo proprio, & certo vocabulo appellatur. Hoc rurſus cum generale ſit, in tria, uel ut alijs placet quattuor appellationis membra, ſiue parteis diuiditur;praenomen, nomen, quod gentilicium dicitur,cognomen, & agnomen, quae omnia dicuntur etiam nomina propria, quorum originis ſeu naturae ordo hic eſt, nomen, praenomen, cognomen,& agnomen, cuius rationem ſequuturus, de nomine gentilicio in primis diſerere conſtitui.

De nomine gentilicio

De nominis autem gentilicij origine, atq; ratione, quum unaquaq; aliarum eiuſmodi uocū antiquius ſit, primumque uſurpari coeperit, uerba facturus, antequam eius definitionem afferam, nonnulla praefari non alienum ab hac quaeſtione erit. Quae ad ea de quibus ſcripturus ſum facilius intelligenda percommoda futura opinor. Primum igitur intelligendum: Nomen duobus modis accipi. Nam & genus, & ſpecies eſt: genus quum dicimus: apud Romanos tria erant nominum genera. Species, ut quorum unum praecipue erat nomen, quod gentiliciū diceretur; alterum praenomen, quod nomini gentilicio praeponeretur; tertium cognomen, unde duo illa priora diſtinguerentur. Itaq; & gentilicium nomen, & praenomen, & cognomen nomina ſunt, ſi ut genus ſumamus, idêſt ut uocabula, quae in nominando aliquo celebremus. Haec appellandi ratio etiā a ueteribus uſurpata eſt. Quum enim de hominis nomine mētionem faciunt,praenomen, familiae nomen,atque cognomen ſaepe ſub unius nominis uoce ſignificant. Hoc autem uel ex eo cognoſci poteſt quod ſub titulo de mutatione nominis, his uerbis conſtitutio Imp. Diocletiani ſit: Sicut initio nominis,cognominis, praenominis recognoſcendi ſingulos impoſitio priuatis libera eſt,ita horū mutatio innocentibus periculoſa non eſt. Mutare itaq; nomē,uel praenomen,uel cognomen, ſine aliqua fraude licito iure, ſi liber es minime prohiberis, Si LIBER ES addidit,non quod ſerui his tribus nominibus uterentur,ſed quod liberum non eſſet ſeruo, ſuum nomen mutare, domino ſerui eſſet. Ab hac generali appellatione exheredatio nominatim facta dicitur; quum ſufficiat nomen, praenomen, aut cognomen dicere, ut Vlpianus ſcribit. Auſonius quoq; in ternario numero

Tres equitum turmae tria nomina nobiliorum. Sed & Cicero in oratione pro Muraena ueteres iuriſperitos irridens: ut quia (inquit) in alicuius libris (exempli cauſſa) id nomen inuenerunt, putarunt omnes mulieres quae coemptionem facerent, Caias uocari. Quem locum recte Viglius ad Caiam Caeciliam quae eadem Tanaquil dicta eſt, pertinere arbitratur. Dionyſius etiam praenomen Lartis nomen uocauit. Illic igitur praenomen, dictum nomen eſt; at pro Caecina cognomen. Sex. (inquit) Clodius, cui nomen eſt Phormio, nec minus niger nec minus confidens, quam Terentianus eſt Phormio. Martialis quoque epigrammatum lib. II. ad Domitianum Imperatorem ſcribit.

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen
Scipio quod auctor, quodq; Metellus habet

Et Plutarchus Caprarium & Bubulcum cognomina nomina uocauit in Valerij Poplicolae uita; & T. Liuius libro primo, Egerium nomen, quod cognomen appellauit Dionyſius lib. IIII. dixit. Quae cum ita ſint, eſt tamen ſpecialis quaedam nominis ſignificatio; quae familiae tantum nomen ſignificat, ab antiquis, ita ad praenominis,& cognominis diſtinctionem uſurpata, de qua nunc loqui decreui, quam definientes dicemus: Nomen ſpeciatim ſumptum, quod quum gentilicium ſit proprie appellatur nomen; eſt id quod genus indicans, non tantum proprium perſonae eſt, ſed etiam genti, uel familiae, quod ideo etiam gentilicium dicitur, quia originem gentis uel familiae declarat; ut Antonius, Curtius, Aurelius, Mucius, Marius, Fabius, Iulius, & ſimilia. Hoc uero ita eſſe his uerbis docet C. Titius Probus in epitoma lib X. Valerij Maximi. Omnia (inquit) quae ad unumquemque noſtrum definiendum excogitata ſunt eandem uim ſignificandi hominis obtinent. Quod per proprietatem dicitur hoc diſtat, quia eo genus cognoſcitur, ideoque dicitur gentilicium. Idem etiam clare & egregie explicat, ſub titulo de verborum ſignificatione Vlpianus cum ait: Nomen itaque cum ſpeciali hac ſignificatione accipitur, familiae nomen ſignificat, Romanis tantum hominibus; nam Graeci & barbari ſingulis nominibus uſi, familiae nomine non utebantur, Itaque Demoſthenes, Ariſtoteles, Plato, Socrates, & illa ſacroſancta nomina Ieſus, Moſes, Cephas, Ioannes, inter cetera aliarum nationum ad familiam non propagantur; erant enim non gentis, ſed ſingulorum hominum uocabula Quam ob rem etiam magna illa controuerſia apud Graecos orta eſt, quod eſſet ciuium Romanorum nomen, ut Plutarchus in Mario refert, de qua mox dicam. Veterum igitur (ut dixi) Romanorum uſus fuit haec tria, aut ſimul, aut ſeparata nomina appellare, ſed ſpeciali ſignifi-

catione

cation, nomen pro ſamiliae nomine vſurpare, cui quod praeponitur praenomen, quod poſtponitur cognomen uocabant, ut P. Cornelius Scipio, M. Tullius Cicero, C. Iulius Caeſar, quibus exemplis P. M. & C. praenomina ſunt, Cornelius, Tullius, & Iulius nomina, Scipio, Cicero, Caeſar cognomina. Quod ita eſſe, doctiſſimorum, & grauiſſimorum hiſtoriae Romanae ſcriptorum teſtimonijs confirmari poteſt. Dionyſius enim Halicarnaſſeus libro hiſtoriarum III. de L. Tarquinio Priſco ſcribens, ſic ait: Lucumo iam ciuis Romanus factus, animaduertens unicuique Romanorum eſſe commune nomen, eique alterum eſſe adiunctum, quod eſt cognationis & gentilicium, ſimilem ſe his in hac re uolens reddere, Lucium ſibi pro Lucumone commune nomen, Tarquiniũ uero tanquam cognationis ab ea vrbe in qua genitus erat, & educatus gentilicium imponit. Et paulo poſt ubi de Atio Naeo loquitur commune nomen appellat praenomen. Plutarchus quoque hoc eodem modo loquitur in Coriolano. Inquit enim; Hinc igitur tertium ei nomen Coriolano inditum eſt, quae res maxime declarat Caium ei fuiſſe proprium nomen, alterum uero Marcium cognationis, ac familiae commune fuiſſe, ideſt gentilicium, tertio deinceps uſus eſt. Idem fere in principio eius libri, quem de C. Marij uita conſcripſit longioribus uerbis explicat: C. Marij (inquit) quemadmodum neque Q. Sertori, qui Hiſpanos in ius ditionemque populi Romani redegit, neque L. Mummij qui Corinthum deleuit, tertium nomen dicere non poſſumus; nam Achaicus huic, ut Africanus Scipioni, & Metello Numidicus, ex re geſta cognomen fuit; ex quo magnopere Poſſidonius reprehenſione dignos putat eos, qui cenſent tertium nomen Romanis proprium eſſe, ut Camillum, Marcellum, Catonem, Nam qui tantummodo duobus nominibus nuncupabantur, nomine carerent. Errat autem quod hac ratione rurſus ipſae mulieres ſine nomine eſſe uoluit, nulli enim mulieri primum nomen, quod proprium apud Romanos Poſſidonius eſſe arbitratur, imponitur. Alij autem proprium nomen a cognatione dixerunt, ut Pompeios, Manlios, Cornelios, tanquam ſi quis Heraclidas ac Pelopidas diceret, tertium uero nomen denominatur ab epitheto quod ex rebus geſtis, vel ex natura, uel ex aliqua figura, & paſſione corporis impoſitum eſt, ut Magnus, Torquatus, Sulla, & apud Graecos, Gryppus, Callinicus. Sicque Plutarchus de nominum antiquorum ratione diſputat, ut uaria etiam ipſe aqud Romanos fuiſſe nominum genera cum Dionyſio ſentire uideatur, quorum alia prima, alia ſecunda, alia tertia appellat; ac prima quidem nomina eadem eſſe, quae propria ſignificare uidentur, noſque praenomina dicimus, ut Publius, Quintus, Marcus, & Titus; ut apud Graecos eſt Agamemnon, Achilles, Alexander, Pelops, Atreus. Secunda uero, quae cognationis cauſſa multis communia ſunt, quae nos nomina gentilicia dicimus, eſſe ait, ut Pompeius Manlius, Cornelius, quibus apud Graecos correſpondent Heraclidae, Pelopidae Aeacidae, Atridae. Tertia uero eſſe (ait) quae a Graecis ἐπώνυμα nominantur, noſque cognomina dicimus, quae uel ab aliqua actione, uel a corporis habitu', uel a moribus indita ſunt, ut Magnus, Torquatus, Sulla, Cincinnatus, & ſimilia, quibus apud Graecos correſpondent Theos, Neoptolemus, Callinicus, Paris, Celer, & Gryppus. In his porro Plutarchi uerbis animaduerſione dignum eſt, ipſum quamquam egregie multa de nominum Romanorum ratione tradiderit, quaedam tamẽ dixiſſe, quae potius ex Graecorum conſuetudine, appellandique more accepit, quam ita olim fuiſſe apud Latinos obſeruata. Nam quum ſecundum nomen ex tribus gentilicium, & cognationis; tertium uero cognomen ab aliquo euentu inditum Romanos appellari conſueuiſſe ſcribit, optime dicit. Quum autem primum quod praenomen Romani uocabant, Romanorum fuiſſe proprium nomen affirmet, haud ſcio quam recte dictum ſit, verum haec latius examinabo quum de praenomine diſſeram. Porro autẽ hoc Plutarchi teſtimonium nequaquã citaui tanquã de praenomine diſputaturus, ſed ut ea quae de nomine gentilicio dixi confirmarem. Nunc uero reliqua perſequar, ueterumq; Latinorum de nomine gentilicio ſententiam afferam. C. Titius Probus in epitoma lib. X. Valerij Maximi Omnia autem (inquit) quae ad unũ quemq; noſtrũ definiendũ excogitata ſunt eandẽ uim ſignificãdi hominis obtinent. Quod per proprietatẽ dicitur, hoc diſtat, quia eo gens cognoſcitur, ideoque dicitur gentilicium; cetera ordine uariantur; nam quod praeponitur praenomen, quod poſt fertur cognomẽ, appellatur, &c. Idem etiã Diomedes lib. I. cap. II. ſcribit: Propriorum (inquit) nominum quattuor ſunt ſpecies, praenomẽ quod nominibus gentilicijs praeponitur, ut Marcus, Publius, Gneus; nomen gentilicium, ideſt quod originem gentis uel familiae declarat, ut Portius, Cornelius, Iulius, & cognomen quod &c. Donatus uero de octo partibus orationis editione II. Propriorum nominum, inquit, ſecundum Latinos quattuor ſunt ſpecies, praenomen, nomen, cognomen, & agnomen, ut P. Cornelius Scipio Africanus. Idem Sergius ad Donatũ, & P. Coſentius, Cariſius, Priſcianus ceterique grammatici ſentiunt. Quod ſi quis fortaſſe hos ut recentiores, & grammaticos non admiſerit, ad ea quae ſcripta ſunt apud Ciceronem, Suetonium, & Cornelium Nepotem animum referat, rerum Romanarum certiſſimos auctores. Cicero

cero enim epiſt.ad Atticum lib.IIII. ita ait:De Eutychide gratum, qui uetere praenomine, nouo nomine T. erit Caecilius, ut ex me & ex te iunctus Dionyſius M. Pomponius. Suetonius quoque in Caeſa.e: Vt quod eo (inquit) anno actum eſſet Iulio & Caeſare actum ſcriberent, bis eodem repetitis nomine atque cognomine. Idem quoque Cicero II. epiſt.ad Attic. Quanto in odio (inquit) noſter amicus Magnus cuius cognomen, una cum Craſſi Diuitis cognomine conſeneſcit. Idem lib.II.de finibus: Primũ T.Manlium (ait) cum Gallo depugnaſſe & ex eius ſpolijs ſibi & torquem, & cognomen induiſſe, nam Torquatus deinceps appellatus eſt. Nonne igitur ſatis haec uerba oſtendunt, Titum quidem eſſe praenomen, Caecilium uero, & Iulium nomina, Caeſarem autem, Magnum, Craſſum, & Torquatum cognomina eſſe uocanda? M. enim Cicero ſuperioribus uerbis oſtendit, ſibi cordi eſſe quod Atticus praenomen ſuum Titi, atque auunculi nomen, quod ideo nouum dicit, quia id recenter adeptus erat, ideſt Caecilium, ſeruo Eutychidi impoſuerit, eumque T. Caecilium Eutychidem appellauerit, ut antiquis mos erat. In uerbis quoque Suetonij, non ne clare uidetur nomen ipſum illud eſſe, quod poſt praenomen ponitur in appellatione, ut Iulius uel Caecilius, idemque eſſe cum gentis uel familiae appellatione, quod etiam gentilicium dicitur? Haec autem ſatis multa & firma uiſa ſunt, quae afferrem ad harum appellationum, & preſertim nominis gentilicij uim & naturam definiendam. Nunc cetera perſequamur

Vnde nomina gentilicia manarint, & cur in ius deſinant

Familias omnes Romanas ſuos quoſdam auctores primos habuiſſe conſtat, qui nomina ſua propria ſibi ab aliquo euentu impoſita, poſteris ſuis poſtea tanquam gentilicia paululum immutata reliquerunt. Quum enim ipſi eius gentis auctores extitiſſent, omnes ab eis progeniti eorũdem nominibus tanquam proprijs utebantur, ac ſuae gẽti tantum peculiaribus. Hoc autem uno aut altero exemplo demõſtrari poteſt. Eſt aliquis princeps generis & gentis alicuius futurus, exẽpli cauſſa Iulus Aeneae, aut Anto Herculis filij, quũ filios procrearunt. Hos Graeci patronymico ſuo exprimunt Iulidem, Antonidem; Latini ſuo in ius Iulium, Antonium, nihil eſt enim aliud Iulius quam ex Iulo natus, neq; Antonius quam ex Antone, & ita in ceteris, ut a Pino Pinarij, Calpo Calpurnii, Ati Atii; & ſic de reliquis. Atque hoc dictum eſt nomen, quod gentilicium eſt quia ex qua gẽte quis ſit indicat. Quum ergo multi eſſent uel filii, uel nepotes Iuli, Antonis, & Pini, qui omnes Iulii, Antonii, & Pinarii dicebãtur, ut inter ſe diſtinguerentur, fuerunt aliquo alio praepoſito nomine ornandi. Itaq; ſi quis prima luce exempli gratia natus eſſet Lucium, ſi mane Manium, ſi ad Tiberim Tiberium, ſi quincto, ſexto, aut decimo loco, Quinctum, Sextum, & Decimum appellarũt, & praepoſito hoc nomine illi gentilicio dixerunt L. Iulius, Sex. Iulius, Manius Antonius, Ti. Calpurnius, Q. Pinarius, & D. Atius, & ſic in ceteris. Atque nomen illud ſecundo loco excogitatum, quod antiquo nomini gẽtilicio praeponeretur, praenomen uocarũt. Quare ſi naturã ſpectes, quam ego nunc in origine horum uocabulorum tradenda ſpectaui, praenomen ſecundum eſt; ſi uſum & appellandi rationem, primũ. Ideo autem omnia fere gẽtilicia nomina in ius ueteres deſinere fecerunt, ut gentis originem eiusmodi deriuatione ſignificarent, ut quem admodum in uoce deriuatio uerbi, ſic gentis etiam, quae uoce illa exprimeretur, principium in uoce appareret. Si quidem antiquiſſimam quamq; gentem aut a uiro, aut a loco tanquam a fonte aliquo manaſſe, & nomen accepiſſe perſpicuum eſt, ita quidem ut haec deriuationis ſignificatio in omnibus ſtudioſiſſime conſeruata ſit. Hanc autem conſuetudinem diligentiſſime tam ante, quam poſt urbem conditam Romae retentam fuiſſe aliquot gentium teſtimonio demoſtrari poteſt. Iuliam enim gentem, Aemiliam, Nautiam, & Antoniam hanc eiuſmodi terminationem ita religioſe ſeruaſſe, non ob aliam rationem credendum, quam ut appareret in uoce, quod in re exiſtit, ab aliquo ipſas initio deriuaſſe: Eſt autem ita. Nam ab Iulo Aeneae, Iulia; Aimilia ab Aimilo Iuli filio, Nautia a Naute, Antonia ab Antone, qui earum gentium auctores fuerunt, deriuatae ſunt. Nam unde reliqua manarint, quantum potero oſtendam. At uero condita vrbem tam ſub regibus quam ſub conſulibus idem factitatum eſt. Scribit Plutarchus, Numam regem filios quattuor reliquiſſe, Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum, atque ab ijs Pomponiam, Calpurniam, Pinariam, & Mamerciam gentes Romae propagatas. L. uero Tarquinium Priſcum ſcribit Dionyſius Damarati Corinthij fuiſſe filium, & quum Tarquinijs uiueret Lucumonem Etruſco praenomine fuiſſe uocatum, ubi uero Romam migrauit ad morem Romanum ſibi nomina compoſuiſſe. Itaque communi nomine ſe pro Lucumone Lucium, gentilicio uero a Tarquinijs vrbe, non ſe Tarquinienſem, ſed Tarquinium appellari uoluiſſe. Idem fecit Ap. Claudius qui Romam cum clientibus ſuis ex Sabinorum oppido Regillo anno poſt reges exactos ſexto ſe contulit. Et enim quum Clauſus diceretur, non iam amplius Clauſum, ſed Clauſium poſt Claudium dici ſe ubi Romæ domicilium collocauit, oportere exiſtimauit. A quo deinceps omnes eius poſteri Claudij nominati ſunt. Id autem ita eſſe Priſcianus quoq; libro II.

reſſert

refert,vbi nomina haec in ius apud Romanos idem ualere,quod apud Græcos patronymica. Verba eius ſunt haec: Nomiuum deriuatiuorum multa genera ſunt. Quorum Patronymicum,ideſt quod a proprijs tantummodo patrum nominibus deriuatur ſecundum formam Graecam,quod ſignificat cum genitiuo primitiui filios, uel nepotes, ut Aeacides Aeaci filius uel nepos,pro quo Romani nominibus familiarum utuntur, ut Cornelij, omnes enim ab illo qui primus Cornelius appellatus eſt, hoc nomen habuerunt, quicumque eiuſdem familiae ſunt, ſicut omnes minores Theſei Theſidas Graeci appellarunt. Neque uero dubium eſt,quin tota haec ratio terminandi uſque ad reip. interitum incorrupta peruenerit: praeter ea duntaxat quae longa obſeruationem notaui; Peducaeus, Poppaeus, & Norbanus. Nam quod M. Perperna, & alia quaedam id genus antiqua nomina in ius nõ deſinant, potius eorũ neſciri nomina exiſtimo, quam nomina gentilicia fuiſſe, quae omnino cognomina fuiſſe arbitror. Nonnullos enim fuiſſe conſtat,quaſi gentilicij nominis expertes, quos ita omnino nominari etiam in tabulis Capitolinis uidemus, quod ob eam cauſſam contigiſſe uidetur quod ij cognomine magis quam nomine delectati ſunt, quod in quibusdam familijs accidiſſe teſtimonio eſt M.Agrippa,cuius gentiliciũ nomen in omnibus fere uetuſtis etiam lapidum monumentis omiſſum eſt, quum tamen ex Vipſaniorum gente eum fuiſſe Nepos & Dio tradiderint. Ita eſt etiam C. Macenas; cuius nomen non niſi in Cornelio Tacito, & ſemel tantum reperitur, quod fuit Cilnius, ut ex antiquis manuſcriptis codicibus,& uetuſto marmore animaduerti. C. etiam Verris nomen nuſquam quod ſciam legitur, ita frequens erat cognominis eius uſus. Fuit tamen Verres ex gente Cornelia,ut ex liberto eius Cornelio Haruſpice, cuius oratione III. meminit Cicero, obſeruaui. Norbanus uero cognomen potius fuiſſe quam nomen ex eo potiſſimum crediderim, quod raro admodum ab vrbibus nomina ſumi ſolita fuiſſe didicerim, ſed potius cognomina ut Medullinus, Camerinus, Auruncus, Laurentinus,Regillenſis, & ſimilia, ita quoque a Norba Norbanus dictus eſt; quod poſtea diuturnitate temporis uel uſu, uel quia nomen eius ingnotum erat, pro nomine uſurpari coeptum eſt, addito Flacci cognomine, dictusq; eſt C. Norbanus Flaccus. Multa etiam nomina librariorum culpa corrupta erant, inter quae praecipuum fuit Corruncanius quod quum nunquã in ius ſcriptum reperiretur in manuſcriptis codicibus ſed tantum Corũcanus,omnes ualde conturbabati uerum poſtremo compertum eſt ex antiquiſſimis lapidibus,uetuſtiſſimisq; codicibus Coruncaniũ eſſe ſcribendũ. De Peducaeo uero & Poppaeo,cur nõ Peducaeius,& Poppaeius ſcribendũ,praeſertim quũ Poppaeium olim ueteres ſcripſiſſe conſtat. Vt ut autem illud ſit,non eſt quod exiguus horum numerus tam religioſam totaliorum coſuetudinem impediat nam ita rep. ſtante obſeruatum fuiſſe conſtat. Quod ſi quid praeter regulam ortum eſt id nouiſſimis reip. temporibus natum eſſe liquet,quibus conſuetudine Latini ſermonis ſenſim labante multa paulatim praeter antiquum loquendi morem inualuerunt. Porro autem rep. ſtante illud certum eſt,ſingulos homines non niſi ſingula praenomina unumque tantum nomen ideſt familiae habuiſſe, quũ tamẽ pluribus cognominibus uti liberũ omnibus eſſet. Poſt Auguſti uero tempora antiqua haec religioſa nominum obſeruatio labefactata eſt. Nam duo nomina gentilicia multos uſurpaſſe tam apud auctores, quam in antiquis inſcriptionibus obſeruaui, ut Ap. Antius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Bradua, P. Coelius Balbinus Vibullius Pius. Quod in adoptionibus fieri ſolitum fuiſſe exemplo eſſe poteſt C. Plinius Ca ecilius Secundus, qui quum C. Caecilius ante uocaretur ab auunculo C. Plinio Secundo Veronenſe adoptatus ita appellari coepit, ut in eius epiſtolis uideri poteſt. Nam quemadmodum ante Auguſti imperium frequentiſſimus is mos in adoptionibus erat, ut is qui adoptabatur, praenomen,nomen,& cognomen eius qui adoptabat aſſumeret, ſuum uero uetus nomen paululum immutatum pro altero cognomine uſurparet, ut C. Iulius Caeſar Octauianus,ita poſt reip. caſum alius hic appellãdi mos inrepſit de quo dixi, quod ante inſolitum & inauditum erat. Is enim qui adoptatus erat, tria nomina adoptantis ſuſcipiebat, ſuum nomen non paululum imutatum pro altero cognomine uſurpabat, ſed nulla ratione mutatum nomini gentilicio eius qui adoptauerat ſubijciebat, ut de C. Plinio Caecilio Secundo animauertimus. Altera quoque ratio fuit duo nomina gentilicia retinendi; ea erat quum is qui ciuitate donatus erat, duo nomina caſu habuiſſet, tunc enim ea ſuggerebat nomini gentilicio eius a quo ciuitatem impetrabat exemplum haberi poteſt de M. Aurelio Claudio Pompeiano. Claudius enim Pompeianus homo Alexandrinus a M. Aurelio Antonino imperatore ciuitete donatus, ſenator, conſul, & gener aſſumptus M. Aurelius Claudius Pompeianus uocatus eſt. Haec & ſimilia ab antiqua obſeruatione abhorrentia paulatim irrepſerunt, poſteaquã ex externis regionibus imperatores creari coeperunt,ciuitasque toti orbi Romano data eſt. Quo tempore non ſolum religioſus hic nominũ ordo defecit,uerum etiam lingua Latina ita contaminata eſt, & in foedã barbariem uerſa, ut non immerito Sex. Pompeius ſcripſerit: Latine loqui a Latio dictum eſt, quae loquutio adeo eſt uerſa, ut uix ulla eius pars maneat inuoxia &c

Quod inter gentem, & familiam diſcrimen ſit; & quae gentes, vel familiae Romanae fuerint

Quum nomina ipſa gentilicia de quibus nunc diſputamus, a gente dicta ſint, nunc etiam cómodum uidetur, ut quid gens ſit, & qua ratione a familia differat exponam. Inter gentem & familiam illud intereſt, quod gens ad nomen, familia ad cognomen refertur. Itaque illa tanquá totum continere uidetur, haec quodammodo partem. Exempli gratia Valerij omnes unius eſſe gentis dicuntur, quia uno nomine continentur omnes, at uero partes gentia huius ſunt plures, quae ex cognominum uarietate diſtinctae ſunt, eaeque familiae nominantur, ut in gente Valeria Maximi uel Meſſallae, Flacci, Laeuini, Faltones, Poplicolae, Potiti. In Cornelia Coſſi, Maluginenſes, Scipiones, Lentuli, Dolabellae, Sullae, Cinnae. In Fabia Ambuſti, Maximi, Buteones, Pictores, Dorſones, Licini. In Aemilia Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulae. Itemque in ceteris. At vero Valerii omnes unius ſunt gentis, itemque Fabii, Cornelii, atque Aemilii. Itaque recte Feſtus gentem definit, eam quae ex multis familiis conficeretur. Haec ita eſſe ex uetuſtis ſcriptoribus intelligi poteſt. Cicero in Bruto: Funebres orationes ipſae familiae quaſi ornamenta ſeruabant ad uſum, ſi quis eiuſdem generis occidiſſet. Liuius libro I. Iulia gens Iulum auctorem ſui nominis nuncupat. Et libro VII. ſic loquitur Valerius Coruus: Non ſi mihi nouum boc Corui cognomen diis auctoribus homines dediſtis, Poplicolarum uetuſtú noſtrae familiae cognomen memoria exceſſit. Et libro IX: Duodecim Potitiorum familias fuiſſe, quum gens Potitia tota interiit. Et libro XXXIIX. P. Scipio Naſica orationem habuit plená ueris decoribus non communiter Corneliae gentis, ſed propriae familiae ſuae. Et libro XL. Inde cognomen familiae inditum, ut Annalis appellaretur. Tranquillus in Caeſare. Ab Anco Marcio ſunt Marcii reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cuius gentis familia eſt noſtra. Et in Auguſto: Gens Octauia a Tarquinio Priſco rege inter Romanas gentes allecta, mox a Ser. Tullio in patricias tranſducta. Primus ex hac magiſtratum cepit C. Rufus. Is quaeſtorius Cnaeum & Caium procreauit, a quibus duplex Octauiorum familia defluxit, conditione diuerſa. Et in Galba. Imagines uniuerſi generis exequi longum eſt, familiae breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum Galba cognomen tulit, cur aut unde rraxerit ambigitur. Porro autem quod intereſt inter gentem & familiam, idem intereſt inter genus, & ſtirpem. Quod Cicero multis in locis docet. Pro Rabirio: Quae in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſime perſequuntur. Et primo de legibus: Hic orti ſtirpe antiquiſſima ſumus. Et in Laelio. Qui aliquandiu propter ignorantiam ſtirpis, & generis in famulatú fuerunt. Et libro I. de oratore: Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios C. uiri iudicarunt, quum Marcelli a liberti filio ſtirpe, Claudij patricij eiuſdem hominis hereditatem gente ad ſe rediiſſe dicerent, nonne in ea cauſſa fuit de toto ſtirpis, & gentilitatis iure dicendum? Et Tranquillus in Caligula: Cn. Pompeio antiquiſſimae ſtirpis Magni cognomen ademit. Quae uero ratio eſt inter gentem & familiam, eadem eſt inter gentiles & agnatos; ut enim familia, aut ſtirps nos propius attingit, quam gens, aut genus; ſic agnati quam gentiles. Agnati enim ſunt eiuſdem familiae, gentiles eiuſdem gentis, uel ut tradit Cicero, qui inter ſe eodem nomine ſunt. Quod etiá ſcribit Feſtus: Gentilis (inquit) dicitur, qui eodem ex genere natus eſt, & is qui ſimili nomine appellatur. Quum ait: ex eodem genere, eos intelligit qui eiuſdem gentis eundem principem habent; ſimili uero nomine, eos qui, quamquam uno gentis nomine omnes utuntur, tamen non eúdem ſui generis auctorem habent, quo modo Cicero prima Tuſculana ſe gentilem ait Ser. Tulij regis, quod uterque ſimili gentilicio nomine uteretur, quum tamen e diuerſo uterque genere manaret, agnati enim non erant, neque ex eadem familia. Vnde in Bruto ait: Multos nſurpaſſe alienā familiam, quum eſſent eiuſdem nominis, & gentis, ut ſi (inquit) me a M' Tullio patricio eſſe dicerem, qui cos. fuit cum Ser. Sulpicio. Et in eodem Bruto: Tuus gentilis Brute M. Pennus; fuerút nam & Pennus, & Brutus ex eadem gente & nomine, ambo enim Iunij, ſed ex diuerſis familijs, nam alter ex Iunijs Brutis, alter ex Iunijs Pennis. Quum autem ad Herennium ſcriptum ſit. Si furioſus exiſtat agnatorum gentiliúq; in eo, pecuniaque eius ius eſto. Agnati profecto uidétur eſſe, qui ex eadé familia ſunt, quibus dificientibus gentiles ſubeant. Nam etiam Cicero primo de oratore dixit: Iura gentilitatum, & agnationum. Ité ius gentilitatis & ſtirpis. Et de legibus I. Homines deorum agnatione & gente tenentur. Quum utranque coniunctionem complecti uellet. Plinius quoque gentiles noua quadam ratione appellat. Si quidem ſeruos gentiles eſſe dominorum ait, quia eodem praenomine appellarétur quo dominus, ut Marcipor, & Quinctipor, ideſt Marci & Quincti puer. Haec itaque ſunt, quae de gente, & familia; uel genere, gentilibus, & agnatis ſcripta inueni

De Romanarum gentium origine

De quarum origine, generibus,& diſtinctionibus diſputaturus, illud in primis ſcitu dignum, quattuor populos me inueniſſe praecipuos qui gentium Romanarum ſeminarium fuerunt. (nã praeter has etiam ex tota Italia Romam multas commigraſſe exiſtimandum.) Hi fuerunt Aborigines & Troiani, qui poſtea ambo ab Aenea communi nomine Latini ſunt appellati, item Sabini, & Etruſci. Aborigines uero qui ante aduẽtum Aeneae Latium regnante Latioo tenebant, ex Graecis in Italiam nenientibus(ut tradit Dionyſius)conflati ſunt. Hos ipſe nominat Oenotrios ex Arcadia, Pelaſgos ex Theſſalia, Euandrum, item ex Arcadia, Herculem ex Peloponneſſo profectos. Qui Troiani fuerint manifeſtum eſt. Atque hi primis vrbis fundamentis interfuerunt. Vrbi nouae Sabini, Caeninẽſes, Antemoates,& Curẽſes: Item Etruſci, ut Veiẽtes, Fidenates,& multae praeterea Etruſcorũ vrbes. Item alij ex Latinia ut Camerini,& Medullini acceſſerũt, quos Romulus uel bello uictos, uel aequo foedere in ciuitatem recepit. Quod Romuli inſtitutum reliqui deinceps reges ſtudioſiſſime conſeruarunt. Qui plures ciuitates aut ui, aut beniuolentia ſibi adiunxerunt, Romamque tranſtulerunt. Itaque Tullus Hoſtilins Alba, Ancus, Marcius, Politorio, Ficana, & Tellenis; Tarquinius Priſcus, Appiolis captis, & dirutis earundem familias Romam tranſduxerunt. Ancus etiã Lucumonem Etruſcum in ſenatũ adſciuit. Priſcus Ser. Tullium Corniculanum ſibi etiam in generum adiunxit. Idem libertate parta obſeruantum ab annuis magiſtratibus eſt. Nam quum urbs plena habitatoribus eſſet, nec propterea amplius nouis migrationibus opus haberent, ius ciuitatis integris populis,& gentibua nunquã dari deſiũ, Italiamque ipſam municipijs deuinciri, quouſque bello ſociali uniuerſa ciuitate donata eſt. Quo tẽpore uirtutis ergo multi ne Italici quidem in ciuitatis ius ſuſcepti ſunt, poſt tranſpadum ciuitas prolata; deinde tranſalpes, & poſtea tranſmare, poſtremo toti orbi Romano conceſſa eſt. Atque ex orbe vrbs facta. Quum uero difficile admodum ſit (immo id fieri poſſe nulla ratione, opinor) omnium Romanarum gentium originem inuenire, paucarum tamen initia ex uetuſtis monumentis indicari poſſunt, ex quibus illud quoque intelligi poterit reliquas etiam eadem ratione manaſſe, nihil enim ea diſputatione obcurius unquã fuiſſe didici, in qua familiarum Romanarum origo explicatur. Nam quamquam quarumdam gentium Romanarum origo manifeſta ſit, maioris tamen partis, uel omnino obſcura eſt, uel incerta. Cuius quidem uniuerſae tractationis duas praecipue partes conſtituam; nam familiarum quarundam origo certa habetur, quaruudam incerta eſt. Hae autem quarum initia cognita habemus ſunt quae a principibus uiris, quorum cognitio eſt, manarunt, ut quae ab Aboriginibus, Troianis, Latinis, Sabinis,& Tuſcis deriuatae ſunt. Earum uero quarum origo incerta eſt, quibuſdam certa dari poteſt etymologia, quibuſdam non. Prioris generis aliae a praenominibus, nominibus,& cognominibus; aliae a locis, vrbibus, & populis; aliae a quadrupedibus; aliae, a uarija euentibus dictae ſunt. Earũ tamẽ origo & generis auctor obſcurus eſt. Poſterioris uero generis neq; auctor cognitus eſt, neq; earũ ulla afferri poteſt nominis etymologia ut Fuſij ſunt, Coruncanij, Caruilij, Cocceij,& ſimiles quas omnes enumerabo. Quod idcirco accidiſſe exiſtimo, quia multae earũ ab antiquiſſimis hominibus, ut paſtoribus,& latronibus,& ceteris incertas ſedes habẽtibus, ortae ſunt. Quibus ea nomina ab aliquo euentu impoſita, eo loqnendi genere, quod linguam appellamus, mutato, omnino obſcura poſterioribus temporibus facta ſunt. Sunt enim multa uerba quae loquendi genere uariato, quum ante aliquid, poſtea nihil ſignificare coeperunt, quum non ſolum linguarum uſus ſed & chraracteres ipſae, & elementa quibus ſcribimus mutentur, cui rei teſtimonio eſſe poſſunt litterae Etruſcae nobis modo omnino incognitae, quae in uetuſtiſſimis tabulis reperiũtur. Id igitur ex hac potiſſimum cauſſa accidiſſe opinor, ut aliquot Romanarum gentium deriuatio oobis omnino incognita ſit. Quarumdam etiam gentium, quamquam nomina uetuſtiſſima ſint, deriuatio tamen intelligi poteſt, quod quum nobiliſſimae fuerint, reliquo eius linguae cuius erãt, uſu exoleſcente, earumdem tantum nominum notitia ad nos manauit, ut Romulus, Remus, Mamercus,& ſimilia. Atque haec ſunt quae de ijs Romanis gentibus dicere uolui, quarum omnino etymologia obſcura eſt, & nobis modo incognita. His igitur explicatis earũ modo familiarum ſeriem afferam, quarũ certus auctor eſt,& origo manifeſta; atq; ex his ab his enumerandis initium ſumã, quae omniũ uetuſtiſſimae erant,& ab Aboriginibus manarunt. Ac primũ quidem numerabo

VITELLIOS, quos Fauno Aboriginum rege & Vitellia, quae multis locis pro numine colebatur ortos tradit in Vitellio Imp. Tranquillus. Patricia haec gens fuit & (ut opinor) maiorum gentium (quae autẽ familiae maiorum gentium fuerint,& ſupra dixi,& paulo poſt iterum exponam) ex qua fuerunt M. & M'. Vitellij fratres uxoris Collatini, primi conſulis, a Bruto cum filijs quod de recipiendis in vrbem regibus coniuraſſent, interfecti. De quibus libro V. Dionyſius

FABII. a Fabio Herculis filio orti, ut tradunt Plutarchus in Fabio Maximo,& Silius libris II.& VI. Vnde Iuuenalis: Natus in Herculeo Fabius lare. Sex. Põpeius: Fouij qui nũc Fabij dicũtur

dicti quod princeps gentis eius ex ea natus ſit, cum qua Hercules in fouea concubuit. Alij putant eum primum oſtendiſſe, queadmodum urſi & lupi foueis caperentur. Patricia & haec gens fuit maiorum gentium (Fabij enim Celeris praefecti Celerum primi ſub Romulo métio eſt) in has ſa milias, & cognomina diſtincta: Celer, Vibulanus, Ambuſtus, Rullus alias Rullianus, Dorſo Maximus, Gurges, Buteo, Pictor, Licinus, Verrucoſſus, Onicula, Cunctator, Labeo, Aimilianus, Seruilianus, Allobrogicus, alias Allobrogicinus, Eburnus, Africanus & Perſicus. Huius gentis uſque ad Ti. Caeſaris principatum mentio eſt. pontificatu maximo I. auguratibus aliquot, dictaturis VII. magiſterijs equitum V, conſulatibus XLVIII. X. uiratu legum ſcribendarum, cenſuris VIII. tribunatibus militũ conſulari poteſtate X. ſenatus principibus V. Triũphis XIII. ouationibusq; II. illuſtris. His honoribus functi ſunt uiri XXXVI. infra annorũ DL. interuallum

ANTONII. Ab Antone Herculis filio deriuatl. Plutarchus in Antonio. Patricios & hos maiorum gentium fuiſſe exiſtimo. (Fuerunt enim & Antonij, plebeij). Quod cur acciderit paulo poſt exponam. Ex patricia Antonia gente fuerunt tres Antonij, duo Merendae, alter X. uir legibus ſcribendis, alter tribunus militum conſulari poteſtate, tertius porro equitum magiſter. Antoniorum gentem plebeiam pietatis, & Balbi cognomina uſurpaſſe inueni. Haec & ipſa conſulatibus ſeptem, cenſuris duabus, magiſterio equitum, triumpho, ouationibus duabus celebris nouiſſimis reip. temporibus fuit

POTITII. Hanc gentem antiquiorem origine vrbis nominat Liuius, a Potitio illo ſene deriuata, qui ad tempus adfuit ſacris Herculis dapibus. Patricia haec maiorum gentium procul dubio fuit, nullis unquã (honoribus quod ſciam) affecta. Haec gens in XII. familias diuiſa ob Herculis ſacra neglecta omnis interijt circa annum vrbis CDXLV

PINARII. & hi patricii maiorum gentium fuere ab altero ſene Herculis ſacerdote oriundi, qui quia ad tempus ad dapes non uenit, Pinarius dictus eſt ἀπὸ τῆς πείνης, i. a fame, de quo Liuius, & Dionyſius mentionem faciunt. Plutarchus uero a Pino Numae filio eam ortam tradit. Foraſſe Pinaria gens duplex fuit. Haec Marmercini, Rufi, & Nattae cognomina uſurpauit, conſulatibus aliquot, magiſterio equitum, & tribunatu militum geſtis non obſcura

QVINCTILII. & haec gens patricia maiorum gentium fuit. De qua Feſtus: Fauiani & Quinctiliani appellantur luperci a Fauio & Quinctillo praepoſitis ſuis. Quinctilius igitur primus fuit unus ex his qui lupercalia ante vrbem conditam celebrarit, a quo Quinctiliorum gens patricia dictatoria & conſularis manauit, Vari cognomine ornata

MAMILII. a Mamilia Telegoni qui Tuſculum condidit filia, Vlixis nepte oriundi. Liuius, Dionyſius, & Feſtus. Haec gens Tuſculana fuit, quae Tuſculo municipio facto, quum Romam ueniſſet, inter plebeias familias Romanas relata eſt. Liuius libro IIII. Eo die L. Mamilio Tuſculano approbãtibus cunctis ciuitas data eſt. Haec in familias aliquot diuiſa, quarum cognomina fuerunt Vitulus, Turrinus, & Limetanus. Conſularis haec gens fuit. Atque hae ſunt Romanae gentes quae ab Aboriginibus fluxerunt, quarum ad nos notitia manauit

Gentes Romanae quae a Troianis ortae ſunt

IVLII. a Iulo Aſcanij, uel ut alijs placet, Aeneae filio. Liuius, Dionyſius, Suetonius. Itaq; Proculum Iulium Romuli tempore Iuli Aſcanij progeniem uocat Dionyſius; & ipſi Iulij cognomen etiam tulerunt Iuli a principe eius gentis Iulo, de quo Virgilius libro I. Aeneidos

Naſcetur pulchra Troianus origine Caeſar
Imperium oceano famam qui terminet aſtris
Iulius a magno demiſſum nomen Iulo. & paulo ante
At puer Aſcanius, cui nunc cognomem Iulo
Additur, Ilus erat

Albana haec gens fuit, atque ut ex Proculo Iulio apparet Romam a Romulo tranſducta, igitur maiorum gentium patricia fuit, pontificatu maximo, dictaturis quinque, magiſterio equitum, conſulatibus XVII. cenſura una, tribunatibus militũ conſulari poteſtate IX. X. uiratu legibus ſcribendis, triumphis octo, Caeſare ipſo dictatore, & Auguſto Romani imperij conditoribus omnium Romanarum clariſſima, quae Iuli, Mentonis, Libonis, & Caeſaris, Strabonis, Burſionis Apuli, Auguſti, & Germanici cognomina uarijs temporibus uſurpauit

AEMILII. ab Aemilo Aſcanij Troiani Aeneae filij, filio ut ait Feſtus deducta. Cui rei forte alluſit Virgilius quum dixit

Progeniem ſed enim Troiano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quae uerteret arces
Hinc populum late regem belloque ſuperbum
Venturum excidio Lybiae

Nam progeniem Aeneae, & Iuli uocare uidetur Scipionem Paulli Aemilij filiũ, qui imp. Carthagi-

thagi-

thaginem excidit, populum autem legiones Romanas, quae ab eiſdem etiam genus trahebant. Plutarchus autem Aemilios a filio quodam Pythagorae Mamerco dictos ait, qui ſummo lepore praeditus ſuit, quae Graece Aimilia dicitur. Sex. Pompeius, Aimiliam gentem appellatam dicunt a Mamerco Pythagorae philoſophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuit Aimilij. Alij quod ab Aſcanio deſcēdat, qui duos habuit filios Iulum atque Aimilon. Patricia haec gens maiorum gentium etiam fuit, ex Albanis Latinis in vrbem a Romulo accita, quae Mamercini, Barbulae, Priuernatis, Paulli, Lepidi, Papi, Macri, Buae, Porcinae, Scauri, & Liuiani cognomina tulit, pontificatu maximo, duobus principatibus ſenatus, dictaturis V. magiſterijs equitum IIII. conſulatibus ſupra XL. cenſuris triumphisq; XV. tribunatibus militum conſulari poteſtate XII. decorata

ATII. Ab Ati Troiano de quo Virgilius libro V. Aeneidos

Alter Atis: genus unde Atij duxere Latini item

Paruus Atis pueroque puer dilectus Iulo

Quod Auguſti cauſſa dictum ſcribit Seruius, qui ex Atia matre natus eſt. Hoc in Auguſti gratiam dictum fuiſſe a Virgilio opinor, neque enim ulla uetus Atiorum mentio eſt. Atij plebeij fuerunt, neque praeturae gradum exceſſere, cognominaque Varri, Paulli, & Balbi tulerunt

CAECILII. a Caecade comite Aeneae. Alij a Caeculo Volcani filio, qui condidit Praeneſte. Auctor Feſtus. Plebeia haec gens fuit, non ante annum vrbis CDLXX. honores adepta, cognominibusque Metelli, Macedonici, Calui, Dentricis, Balearici, Dalmatici, Vittati, Caprarij, Nepotis, Celeris, Cretici, Pii, Numidici, Scipionis, & Silani diſtincta. Quae nobilis admodum Romae gens fuit, pontificatus maximos IIII. dictaturas duas, magiſteria equitum totidem, conſulatus XX. cenſuras VII. triumphos nouem, intra annos CCL. adepta, quibus honoribus functi ſunt uiri undeuiginti. Hanc familiam Praeneſte oriundam fuiſſe quidam referunt, quam poſt exactos Reges in ciuitatem acceptam fuiſſe opinor

CLOELII. a Comite Aeneae eius nominis fluxerunt, ut his uerbis tradit Feſtus, Cloelia familia a Cloelio Aeneae comite eſt appellata. Haec gens Albana fuit. Hinc foſſae Cloeliae a Cloelio Albanorum duce dictae. Ennmeraturque a Dionyſio & Liuio inter eas Albanorum familias quas Alba diruta Tullus Hoſtilius in vrbem, & inter patricias adſciuit. Igitur minorum gentium fuit. Haec gens conſulatus aliquot & cenſurā adepta eſt, Siculiq; praecipue cognomen tulit

CLVENTII. a Cloantho comite Aeneae. Virgilus libro V

Centauro inuehitur magna, Scyllaque Cloanthus

Caerulea; genus unde tibi Romane Cluenti

Haec gens plebeia & nullis honoribus clara fuit

GEGANII. a Gya comite Aeneae, ut ait Seruius ſuper V. Aeneidos libro Bene (inquit) laudat familias nobiliū, a Sergeſto Sergia familia fuit, a Cloantho Cluentia, a Gya Gegania, cuius non fecit mentionem. Haec gens Albana fuit, & eius partem Romam cum Romulo commigraſſe crediderim. Nam inter primas quattuor virgines Veſtales a Numa factas, refertur una Gegania a Plutarcho. Eius uero altera pars Romam a Tullo Hoſtilio tranſducta fuit, & inter patricias Alba euerſa allecta, Dionyſio & Liuio auctoribus. Fuerunt igitur in gente Gegania familiae patriciae maiorum, & minorum gentinm. Quae Macernni cognomen frequentarunt, conſulatibus aliquot, cenſura, & triumpho illuſtres

IVNII. a comite Aeneae eius nominis emanarūt, auctore Dionyſio libro IIII. Patricia igitur haec gens fuit maiorum gentium, Bruto primo conſule illuſtriſſima. Fuit & altera gens Iunia plebeia inter Romanas nobilis, quae & ipſa Bruti, item Babulci, Saeue, Perae, Penni, Silani, & Callaici cognomina tulit, dictatura, magiſteriis equitum IIII. conſulatibus XVIII. cenſura, triumphisque VII. ornata

MEMMII. a Mneſtheo comite Aeneae Virgilius libro V

Velocem Mneſtheus agit, acri regimine priſtin

Mox Italus Mneſtheus, genus a quo nomine Memmi

Haec gens plebeia Romae fuit, & praetoria tantum, Reguli cognomen tulit. Sub imperatoribus conſulatum adepta

NAVTII. A Naute Aeneae comite. Dionyſius, Virgilius, Feſtus, & Seruius in II. Aeneidos, qui ita ait: Quum Diomedes raptum Palladium ſibi non eſſe aptum intelligeret, illud Aeneae tranſeunti obtulit, ſed quum ſe ille capite uelato ſacrificans conuertiſſet, Nautes quidam ſimulachrum accepit, quare Mineruae ſacra non Iulia gens habuit, ſed Nautia. Ita ſcribit etiam Varro in libris de familiis Troianis. Haec gens igitur maiorum gentium patricia fuit, Romaeque conſulatus ſex, tribunatus militum conſulari poteſtate IIII. & alios honores adepta diu floruit, Rutuli cognomine ornata

SERGII. a Sergeſto comite Aeneae. Virgilius libro V

Sergeſtusque domus, tenet a quo Sergia nomen. Haec gens patricia maiorum gentium, ut credo fuit, cognominibus Fidenate, Natta, Silo, Catilina, Ocella, Planco; IX. trib. mil. cos. pot. & aliquot cõſulatibus decorata. Multas praeterea gentes Romanas a Troianis fluxiſſe fertur. Quare Seruius V. Aeneid. ſcribit Varronem librum reliquiſſe de familijs Troianis, ideſt quae genus trahebant e Troia. Et Iuuenalis etiam eam ob cauſſam Romanos Troiugenas uocat, quaſi e Troia-(nis genitos

Familiae a Latinis

FVRII. Hanc gentem ſub Romulo e Medullia Latinorum vrbe Romam migraſſe, atque inter minorum gentium patricias lectam fuiſſe, ob eam potiſſimum cauſſam opinor, quod a Medullia, vnde originem habuit, uetuſtiſſimum cognomen tulit. Medulliam autem ſub Romulo ſe Romanis dedidiſſe refert Dionyſius. Haec poſtea gens Romae nobiliſſima fuit in multas familias, quarum haec cognomina fuerunt diſtincta: Medullinus, Fuſus, Pacilus, Camillus, Purpureo, Craſſipes, Philus. Clara admodum & illuſtris dictaturis VII. conſulatibus XX. tribunalibus militum conſulari poteſtate XXIII. cenſuris IIII. & triumphis VII

SVLPICII. Hanc gentem Cameria Latinorum vrbe oriundam fuiſſe cognomen Camerini, quod primum frequentauit, indicat. Cameria autem ſub Romulo Romana colonia facta fuit. Quare haud abſurdum eſt hanc gentem a Romulo in vrbem euocatam, atque inter ſecundae lectionis patres relatam, quae poſtea Romae nobiliſſima fuit, cognominibus Camerino, Cornuto, Petico, Longo, Sauerrione, Paterculo, Gallo, Galba, Maximo, Praetextato, & Rufo ornata. Quae multiplices conſulatus, cenſuras, triumphos, & dictaturas Romae eſt conſequuta

CVRIATII. Haec gens ante Albana, poſt Romae patricia minorum gentium fuit, Alba exciſa a Tullo Hoſtilio Romam cum familijs Iulia, Cloelia, Gegania, Quinctilia, Metilia, Quinctia, & Seruilia traducta. Romae conſularis fuit, & Tergemini cognomen quemadmodum, Horatia tenuit. Illud autem hic eſt animaduerſione dignum Iuliã, Cloeliam, Geganiam, & Quinctiliam gentes in plures familias diuiſas eſſe, quarum quadam Romam initio vrbis cum Romulo commigrarunt, atque patriciae maiorum gentium fuerunt, quaedam uero, non niſi poſt Albae excidium Romam uenere, atque in patricias minorum gẽtium adſcitae ſunt. Curiatiorum gens a curia manaſſe opinor

METILII. Haec cum reliquis primoribus Albanis familijs Romam a Tullo Hoſtilio uocata eſt, & in patricias ſenatumque auctore Dionyſio, allecta: de qua nihil praeterea inuenire potui. Hoc nomen a praenomine Metio ortum crediderim

QVINCTII. Et haec gens inter Albanas nobiliſſima fuit Romam a Tullo Hoſtilio Alba diruta tranſlata, & in patricias ſenatũq; cũ reliquis quas enumeraui allecta. Romae autẽ in multas familias ſe diffudit, quarum cognomina fuere Capitolinus, Cincinnatus, Barbatus, Pennus, Claudus, Criſpinus, & Flaminiuus. Hæc gens conſulatus, cenſuras, triumphosq; plures adepta eſt

SERVILII. Vt Quinctij a praenomine Quincto, ſic Seruilij a praenomine Seruio (ut exiſtimo) uocati ſunt. Quae gens Albae primum deinde Romae nobiliſſima fuit (in vrbem enim & ipſa Alba diruta cõmigrauit). Huius gentis cognomina fuerunt Priſcus, Ahala, Axilla, Structus Caepio, Geminus, Pulex, Vatia, Iſauricus, Caſca, Fidenas, Tucca, Longus. Dictaturas geſſit & ipſa, magiſteria equitum, conſulatusque complures

CORVNCANII. Haec gens, quamquam plebeia, nobilis tamen, & reip. utilis fuit, Cameria, ut Claudius imp. apud Tacitum libro XI. uel ut Cicero tradit, Tuſculo oriunda. Princeps eius gentis Romae fuit Ti. Corũcanius, qui primus e plebe pontifex maximus factus eſt; idem magiſter equitum, conſul, cenſor, & dictator fuit; atque de Tuſcis, quos in deditionem acceperat, triumphauit

PORCII. gens Porcia in Catonum & Licinorum familias diſtincta, Tuſculo oriunda fuit, Tacito & Cicerone auctoribus. Ex qua duo reip. Romanae lumina exierunt, Cato maior, & minor, & multi praeterea conſulares uiri prodiere

Atque hae ſunt gentes, quas ab Albanis, uel reliquis Latinis fluxiſſe animaduerterim, quae inter Romanas poſtea allectae ſint

Familiae a Sabinis

Multae & nobiliſſimae gentes Romam ex Sabinis uarijs temporibus commigrarũt. Quarum omnium praeſtantiſſima gens VALERIA fuit, cuius gentis princeps Voluſus Romae domicilium locauit cum T. Tatio Sabinorum rege, Dionyſio & Plutarcho auctoribus. A quo eius poſteri Valeſij primum poſt Valerij dicti, quare etiam Voluſi cognomen tulerunt. Feſtus: Boni (inquit) omnis cauſſa in delectu cenſurae primi notabantur Valerius, Saluius, Statorius. Haec poſtea gens in multas familias, multaque cognomina ſe diffudit, ut Voluſi, Potiti, Poplicolae, Maximi, Corui, Coruini, Meſſallae, Faltonis, Cottae, Meſſallini, Laeuini, Aſciſculi,

Barbatij

Barbati, Nigri, Lactucini, Antiatis, Tappi, & ſimilium. Quae Romae dictaturas, conſulatus, cenſurasque plurimas geſſit, triumphosque maximos, & nobiliſſimos egit

AVRELII. & hi quamquam plebeij, a Sabinis Romam uenerant de quibus Feſtus: Aureliam familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus ſit locus, in quo ſacra faceret Soli. Haec gẽs cognomina Cottae, Oreſtis, & Scauri tulit, quae conſularis, cenſoria, & triumphalis fuit

CVRTII. Curtia gens Romae conſularis, & patricia minorum gentium, Romam cum T. Tatio, auctore Dionyſio, & ut ex Liuio intelligitur, commigrauit ſub Romulo

MARCII. & haec gens cum T. Tatio ex Sabinis Romam quum ueniſſet in patricias allecta eſt, Fuerunt etiam aliquot gentis Marciae familiae plebeiae his cognominibus diſtinctae Rutilus, Philippus, Thermus, Cenſorinus, Tremulus, Figulus. Rex, & Ralla; Nam Coriolanus gẽtis patriciae cognomen fuit. Adepta eſt Romae Marcia gens plebeia dictaturas, conſulatus, cenſurasque multas, & triumphos maximos egit

TVRANNII. Inter eas Sabinorum nobiles familias qui Romam cum T. Tatio ſe contulerunt, atq; patriciae factae ſunt, connumeratur a Dionyſio Turannia, de qua nihil praeterea quicquam inueni

Poſſent quoque inter nobiles & patricias familias ex Sabinis oriundas etiam referri Herſilia, Tatia, & Pompilia, ab Herſilia Romuli vxore, T. Tatio, & Numa Pompilio regibus dictas, quas tamen omitto, quod nulla poſt priſca tempora de ijs mentionem fieri inueniam

Inter Sabinas quoque gentes referri poſſent, & Calpurnij, Mamercij, Pomponij, & pars gentis Pinariorum, quas a Calpo, Mamerco, Pompone, & Pino Numae regis filijs fluxiſſe tradit Plutarchus in Numa. Ex quibus

CALPVRNII. Romae plebeij fuerunt (nullos enim ex his patricios fuiſſe inueni) cognominibus Piſone, Frugi, Beſtia, Caeſonino, & Bibulo diſtincti, conſulatibus, cẽſuris, & triumphis maximis actis illuſtres

MAMERCII. & hos a filio Numae Mamerco manaſſe tradit Plutarchus, quorum nullam unquam mentionem praeterea extare uidi

POMPONII. & hi a Numae filio fluxiſſe traduntur a Plutarcho, quamquam plebeij fuerunt. Qui cognominibus Mathone, Attico, Muſa, Molone, Flacco, & Vitulo diſtincti Romae ſummos honores adepti ſunt. Sunt qui Pomponios ante vrbem conditam fuiſſe ſcribant, maiorumque gentium patricios exiſtimant eos fuiſſe, ex qua gente fuit Fauſtulus Romuli educator. Duplex forte etiam Pomponiorum gens fuit

CLAVDII. poſt reges exactos anno ſexto Romam uenerunt, quorum gentis princeps fuit Actius Clauſus, poſt Ap. Claudius uocatus. Is ex Regillo Sabinorum oppido Romam cum commigraſſet, a populo inter patricios allectus eſt, a quo gens Claudia Romae nobiliſſima manauit Sabini, Regillenſis, Craſſi, Craſſini, Caeci, Pulchri, Caudicis, Centhonis, Neronis, Hortatoris, & Rufi cognominibus diſtincta. Quae dictaturas V. conſulatus XXVIII. cẽſuras VII. triũphos VI. duas ouationes adepta eſt. Fuit & alia Claudia gens plebeia a quodam Claudiae gentis patriciae cliente procreata, nec potentia, nec dignitate minor, quae Marcelli, Glitiae, Aeſernini, Flaminini, & Aſelli cognomina tulit, que & ipſa in vrbe conſulatus, cenſuras, & triumphos quamplures egit

Familiae ab Etruſcis

COELII. a Vibenna Coele Etruſco, qui ſe Romam regnante Romulo contulit. Dionyſius, Feſtus, Tacitus, Varro. Haec gẽs poſtea plebeia & conſularis fuit, Caldi cognomine inſignita

TARQVINII. Gens Tarquinia ex Etruſcorum vrbe Tarquinijs Romam ſub Anco rege uenit, cuius gentis auctor fuit L. Tarquinius Priſcus, qui poſt Ancum Romae regnauit. Haec duos Romae reges & conſulem edidit, Priſci, Collatini, & Superbi cognominibus nota

Hae itaque Romanae gentes ſunt, quarum uel auctor certus eſt, aut loca unde fluxerint manifeſta. Nũc reliquas familias Romanas perſequar indiſtincte tam patricias quã plebeias, quarum quã quam origo incerta ſit, etymologia tamen afferri poſſe uidetur. Multae enim ex Romanis familijs a praenominibus, nominibus, & cognominibus; uel a locis, vrbibus, & populis; itẽ quadrupedibus, & alijs euentibus ortae uidetur. Inter quas nonnullas etiam fuiſſe inueni, quae integra praenomina, & nulla ratione uariata, pro nominibus gentilicijs uſurparent, quarum omnium ſeriem breuiſſime nunc ſuggeram

Praenomina pro nominibus gentilicijs uſurpata

APPIVS. praenomen Appij in nomen familiae tranſijt paulo poſt Auguſti tempora. Plinius enim in epiſtolis ad Traianum L. Appij Maximi meminit. Et in antiquo lapide eiuſdem Appii Maximi mentionem fieri ſic uidi LIAE. APPI. MAXIMI. BIS. COS

CONFECTORIS. BELLI. GERMANIC

Metivs alias Mettius. Hoc praenomen Albanum fuit, Romae quod ſciam nunquam uſurpatum, gentem uero Metiam Romae fuiſſe ex epiſtolis Ciceronis intelligi poteſt, qui in epiſtola ad Marium P. Metium commemorat. Item in uetuſtis lapidibus quamquam poſt Auguſti tempora, L. Metij, Q. Metij, & P. Metij ſaepe mentionem fieri animauerti

Nvmarivm. praenomen pro nomine gentilicio uſurpatum fuiſſe, tam in lapide uetuſto Venetijs in turri D. Vitalis ſic CN. NVMERIVS. & cet. quam apud Aſconium, quod me magis mouet, inueni. Qui in Piſonianam Q. Numerij meminit, Ciceronis tempore uiuentis

Statius. praenomen ſeruile raro in uſu fuit. Apud Liuium mentio eſt T. Statij tribuni plebis, & in uetuſtis epigrammatibus P. Statium legi

SERVIVS. & hoc praenomen forte pro nomine uſurpatum eſt, nam in antiquo argenteo nummo legi L. SERVIVS. RVFVS

Nomina gentilicia a praenominibus

Ancij ab Anco. Vnde Sp. Ancius legatus Fidenis interfectus, & Sp. Ancius Briſſo, de quo Cicero in Bruto
Appicij ab Appio
Arruntii ab Arrunte
Aulii ab Aulo
Caeſonij a Caeſone
Cnaeij a Cnaeo. Cicero de petitione cõſulatus
Decimij a Decimo
Hoſtilij ab Hoſtio
Iulij a Iulo
Lartij a Larte
Lucilij a Lucio
Mamercij a Mamerco
Manilij a Manio
Marcij a Marco
Metilij a Metio
Numitorii a Numitore
Numonij & a Numa
Petronij a Petrone
Pomponii a Pompone
Poſtumij a Poſtumo
Proculei a Proculo
Publilij a Publio
Quinctij a Quincto
Romulij a Romulo
Sertorii a Sertore
Seruilij a Sernio
Sextii a Sexto
Spurilij a Spurio
Statilij a Statio
Titij a Tito
Tullij a Tullo
Vibij a Vibo
Valerij & Voluſij a Voluſo

Nomina gentilicia a nominibus

Atilij ab Atijs
Porcilij a Porcijs
Quinctilii a Quinctiis
Sextilii a Sextiis

Nomina gentilicia a cognominibus

Albii ab Albo
Albinij ab Albino
Camilii a Camillo
Catii a Cato
Cordii a Cordo
Fictorii a Fictore
Flauii a Flauo
Fuluii a Fuluo
Furii a Fuſo
Gallii a Gallo
Geminii a Gemino
Licinii a Licino
Papii a Papo
Plancii a Plancio
Plautii a Plauto
Rutilii a Rutilo
Silii a Silo
Varii a Váro
Vatinii a Vatia
Vennonii a Vennone

Ab vrbibus, & Populis, & fluminibus

Cominii ob Cominis Italiae populis
Gabinii a Gabiis
Norbani a Norba
Tarquinii a Tarquiniis
Volſcii a Volſcis
Numicij a Numico flumine

A quadrupedibus

Aſinii ab aſinis
Caprilii a capris
Equitii ab equis
Ouinii ab ouibus
Porcii a porcis
Suilii a ſuibus
Varro, & Plutarchus

A miniſterio aliquo

Flaminii. Feſtus
Pontificii Liuius, & Dionyſius

Ab alijs euentibus, vel voce aliqua

Aurelii a Sole T. Feſtus
Hirtii ab hirto
Iuuentii a iuuenta
Popillii a popillo
Publicii a publico
Saluii a ſaluo
Terentii a tereno uoce Sabina, quae molle ſignificat
Septii a numero ſeptem
Septimii a ſeptimo
Octauii ab octauo

Nouii a nouem
Nonij a nono
Decij a decem
Decimij a decimo
A colore aliquo
Aquillij ab colore aquilo
Caeſij a caeſio

Reliqua igitur omnia nomina gentilicia, ideſt Romanae gentes,& familiae ab eiuſmodi euentibus, & vocibus originem habuiſſe exiſtimandum eſt. Atque hactenus de earundem initijs

De familijs patricijs, & plebeiis

HARVM omnium familiarum quas enumeraui, & multarum praeterea de quibus mox dicam, uaria conditio fuit, nam ſi genus ſpectabimus, quaedam patriciae, & quaedam plebeiae dicebantur; Item ex patricijs, quaedam maiorum, & quaedam minorum gentium. Si honores uero, quaedam nobiles,& quaedam nouae erant. Quod cur,& unde acciderit nunc breuiſſime exponam. Ac primum de patriciis, & plebeiis diſputabo. Dionyſius libro II. ſcribit Romulum ſtatim poſt conditam vrbem, populum omnem in duas praecipue partes diuiſiſſe; unam eorum qui inter ceteros aut genere, aut uirtute, aut liberorum multitudine, aut aetate, aut diuitiis excellebant; alteram eorum qui his omnibus erant inferiores; atque illos quidem patres, hos vero plebem, exemplo ab Athenienſibus ſumpto nominaſſe; patres autem dicti, ob aetatem quaſi ſenes, unde ſenatores, uel quod filios haberent, aut patres ciere poſſent. Horum progenies patricij dicti, perinde ac plebis plebeii. Ex patribus centũ primo ſenatores legit, his deinde ſacra, iudicia, magiſtratus, & totius reipublicae adminiſtrationem commiſit, Plebeios his omnibus honoribus uacuos, quaeſtuoſis artibus agriculturae,& pecori alendo operam dare uoluit. Romulus igitur primus omnium Romae patres creauit, & ex his ſenatum primum legit, atque hi centum ſenatores patres tantum, & poſteri eorum patricij maiorum gentium uere appellati ſunt, ut aliquod diſcrimen eſſet, inter has & illas quas poſteriores reges in patricias cooptarunt, quarum auctores patres conſcripti ideſt antiquis ſenatoribus adiuncti, & ipſae minorum gentium ſunt vocitatae. Itaque in hanc ſententiam apud Liuium libro X. P. Decius plebeius apud patres loquutus eſt ita: Semper iſta audita ſunt eadem, penes uos auſpicia eſſe, uos ſolos gentem habere, uos ſolos iuſtum imperium, domi, militiaeque. Et libro IIII. Interroganti tribuno cur plebeium conſulem fieri non oporteret reſpondit, quod nemo plebeius auſpicia haberet, ideoque decemuiros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur. Plebs ad id maxima indignatione exarſit, quod auſpicari tanquam inuiſi diis immortalibus negarentur poſſe. Et alibi. Connubia communicata ſunt, quibus ſacra confuſa ſunt, & auſpicia. Et libro ſexto, Ap. Claudius patricius, ſic: Penes quos ſunt auſpicia more maiorum? nempe penes patres, nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur. Nobis adeo propria ſunt auſpicia, ut non ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, aliter quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato interregem prodamus; & priuatim auſpicia habeamus, quae iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud, quam tollet ex ciuitate auſpicia, qui plebeios conſules creando, a patribus qui ſoli ea habere poſſunt aufert? Qua ratione adductus Scaeuula in Topicis apud Ciceronem gentiles definit; qui inter ſe eodem nomine ſunt, & qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, aut capite diminutus eſt. Quae definitio apte in patricios Romuli cadit, de quibus P. Decius ſic apud Liuium loquitur: En Romae unquam fando audiſtis, patricios primum eſſe factos, nec de caelo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, ideſt nihil ultra quam ingenuos? Et Ap. Claudius: An hoc ſi Claudiae familiae non ſim, nec ex patricio ſanguine ortus, ſed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortũ, & uiuere in libera ciuitate ſciam reticere poſſum. Ex his verbis intelligi poteſt gentem primum de patricijs dictam, quod ſoli ipſi eam haberent, unde etiam maiorum (ut dixi) & minorum gentium dicti ſunt, poſt ad plebeios etiam eſſe translatam, qui duobus ut patricii eſſent ingenuis orti. Qui idem poſtea non ſolum gentem adepti ſunt. Sed procedente tempore patricios magiſtratus omnes, ſacerdotia, auſpicia, ordines, imperia & triumphos, quae ſolis patriciis ante patebant, ſunt aſſequuti. Illud praeterea eſt animaduerſione dignum, qui ciuitate Romana donabatur, cum plebeium primo fuiſſe, poſt factum patricium. Patriciũ autẽ neminem niſi nominatim uel a regibus, uel a populo, uel denique ab imperatoribus factus eſſet, fuiſſe. Atque Romulum primum ex omni populo ciuitatis patres a quibus patricij manarunt creaſſe, ex Dionyſio uidimus. Ex quibus patribus primum a Romulo lectis, has familias quae patriciae maiorum gentium dictae ſunt, inter multas alias fluxiſſe, ex antiquitatis obſeruatione, digeſſi. Sunt autem hae

Aimilia
Antonia
Attia
Cloelia
Cluentia
Fabia
Gegania
Hoſtilia Ex hac Hoſtius Hoſtilius fuit Romuli bello Sabino dux, auusque Hoſtilij regis, Dionyſio,& Liuio auctoribus. Haec gens etiam plebeia ac conſularis fuit,cognominibus Mancino,Saſerna,Tubulo,& Catone diſtincta
Iunia
Iulia
Memmia
Nautia
Pinaria
Pomponia
Potitia
Quinctilia
Romilia. Dentricis Romilii ſub Romulo praefecti vrbis primi meminit Tacitus lib. V.Patricia haec maiorum gentium & conſularis gẽs fuit,Roci,& Vaticani cognominibus ornata
Sergia
Tarpeia Sp.Tarpei arcis Romanae ſub Romulo bello Sabino praefecti omnes ſcriptores meminerunt : a quo gens Tarpeia patricia maiotum gẽtium,& conſularis fluxit, cognominibus Montani,& Capitolini affecta
Vitellia
Hi patres qui ex his familijs lecti ſunt patres tantum , & eorum poſteri patricij maiorum gentium ſunt vocati

De Patricijs familijs minorum gentium , & patribus conſcriptis

Bello Sabino confecto,cum Sabinorum , Etruſcorum , & multorum indies ad Aſylum confugientium aduentu vrbs aucta eſſet,poſtquam eos Romulus in ciuitatem aequo iure ſuſcepiſſet,& in Lucerum Tatientiumque tribus conieciſſet , Tatio quoque & Romulo regibus uiſum eſt,ut patriciorum numero duplicato , ſenatorum quoque ordinem augerent . Igitur ex illuſtrioribus familijs uiros centum curiarum ſuffragijs deligentes,eos in patres cooptatos ueteribus ſenatoribus adiunxerunt,atque ita ſenatorum numerus ad ducentos eſt auctus . Hinc (ut dixi) patriciorum minorum gentium & patrum conſcriptorum originem manaſſe potius crediderim , quam quod Liuius,Plutarchus, & Tacitus tradunt. Quorum Liuius patricios minorum gentium ſub Tarquinio Priſco , Tacitus uero ſub L.Bruto primo conſule (nam & is patricios legit) primum appellatos ſcribunt . Plutarchus uero,& idem Liuius eos patres conſcriptos appellant,qui a Bruto lecti ſunt,quos Tacitus minorũ gentium uocat . Hinc Cicero ad Papirium Paetum aliquot patricios Papirios quamquam minorum gentium nominat.Ceterum hãc quaeſtionem abunde examinaui libro II.commentariorum reip. Romanae. Secunda autem patriciorum , uel patrum potius lectione hae praecipue familiae patriciae factae ſunt minorum gentium .

Aurelia
Herſilia
Marcia
Tatia
Turania
Valeria
Ex Sabinis
Coelia Ex Tuſcis
Furia
Sulpicia
{ Ex Latinis
Incerta
Berennia
Camillia
} ex quibus uirgines Veſtales primae a Numa lectae fuerunt
Vettia Sp.Vettius interrex Numam Regem pronuntiauit ut tradit Plutarchus
Horatia Haec initio regni Anci Marcij iam patricia erat, haud dubie ſub Romulo facta , quae poſtea conſularis & triumphalis gens Romae fuit,cognominibus Trigemino Pluillo Barbato,Cocliteque diſtincta
Poſt Numam Pompilium regem fuerunt familiae patriciae minorum gentium hae
Pompilia
Calpurnia
Pomponia
Mamercia

Tullius Hoſtilius rex exciſa Alba,Albaniſque in ciuitatem adſcitis inter patricias familias ſenatumque adlegit Dionyſio & Liuio auctoribus

Cloeliam
Curiatiam
Geganiam
Iuliam
Metiliam
Quinctiam
Quinctiliam &
Seruiliam

Ancus Marcius rex
Tarquiniam gentem in patricias aſſumpſit

L. Tarquinius Superbus rex non minus regni ſui firmandi,quam augendae reip. memor,centum in patres legit,qui deinde minorũ gẽtium ſunt appellati,factio haud dubia regis cuius beneficio in curiam uenerant . Ita Liuius . Dionyſius vero : Priſcus electos centum ex omni populo probatae belli apud omnes uirtutis domique prudentia patricios effecit,& in numerum ſenatorum

rum conſtituit, ac fucre tum Romani ſenatores trecẽti, qui antea ducenti fuerant. Inter has familias patricias fuiſſe opinor Corneliam, Papiriam, & Tulliam

CORNELIA. Omnium Romanarum gentium maxima, & ſummis honoribus geſtis nobiliſſima haec cognomina tulit, Coſſus, Maluginenſis, Scipio, Aſina, Aruina, Naſica, Rutilus, Lẽtulus, Caudinus Rufinus, Dolabella, Sulla, Cinna, Lupus, Africanus, Aſiaticus, Caluus, Cethegus, Serapio, Corculum, vir optimus, Hiſpallus, Aemilianus, Felix, Maximus, Blaſio, Scapula, Merenda, Barbatus, Clodianus, Augur, Getulicus, Iſauricus, Magnus, Sura, Merula, Fronto, Numantinus, Spinther, Salutio, Siſenna, Mammula, Mamercus, Scaurus, & Marcellinus. Hanc vero gentem inter patricias L. Tarquinij Superbi ſaltim fuiſſe ex eo liquet, quod Cornelij cuiuſdam ſacerdotis ſub rege Ser. Tullio apud Dionyſium mentio eſt. Haec una gens omnes reliquas Romanas omnium honorum multitudine ſuperauit

PAPIRIA. Haec a Cicerone patricia minorum gentium uocatur, cuius cognomina fuerunt Mugillanus, Craſſus, Curſor. Praetextatus, Maſo, & Paetus, Fuit enim & Papiria plebeia familia Carbonis cognomine inſignita. Vtraque gens ſummos in urbe honores conſequuta eſt. Hãc uero ante reges exactos patriciam fuiſſe teſtimonio eſt M. Papirius, qui eo anno quo populus Romanus libertatem adeptus eſt, iam pontifex maximus erat

TVLLIA. Gens patricia ante reges exactos, (ex ea enim Ser. Tullius rex prodijt) & poſt libertate parta conſularis fuit Longi, & Tollerini cognomine affecta. Fuit & alia gens Tullia plebeia in duas familias conſulares diſtincta, quarum altera Decularum, altera Ciceronum appellata eſt, Cicerone oratore clariſſima

Poſt Tarquinum Priſcũ Ser. Tullius rex, Suetonio & Zonara, auctoribus patricios legit. In his Octauia gens Velitris oriunda fuit; quam L. Tarquinius Superbus inter Romanas allegerat. Quae quum ad plebem ſe contuliſſet, rurſus a Caeſare dictatore inter patritias relata eſt. Ex hac fuit C. Octauius Rufus; is quaeſtorius duos filios procreauit Caium, & Cnaeum, Cnaei poſteri ſummos in vrbe honores adepti ſunt. Caij praeturae gradum non exceſſerunt: ex his Auguſtus Caeſar deſcendit. Tarquinijs regibus exactis L. Iunius Brutus primus cos. exhauſtũ bonis uiris ob ſregias caedes ſenatum, quum ex primoribus equeſtris ordinis patricios creaſſet, etiã CCC. ſenatorum ueterem numerum a rege Superbo ualde imminutum, reſtituit. Poſt L. Brutum apud conſules primũ, deinde cenſores ſupplendorum ſenatorum poteſtas fuit. Verum quum ex plebe poſt exactos reges ſenatores legi coepiſſent, neminem tamen ex plebe ſiue equeſtri ordine, poſt Brutum in patricios ad lectum fuiſſe unquam amplius inueni, uſque ad Caeſarem dictatorem, praeter Ap. Claudium Sabinum, qui quum ex Sabinorum oppido Regillo Romam paulo poſt reges exactos transfugiſſet, per populum in patricios lectus eſt. Vnde Liuius libro IIII. in oratione C. Canuleij tribuni plebis ita ait: Quid? Hoc ſi polluit nobilitatem iſtam ueſtram quam plerique oriundi ex Albanis, & Sabinis non genere nec ſanguine, ſed cooptatione in patres habetis, aut a regibus lecti, aut poſt reges exactos iuſſu populi. Reliquae igitur omnes quas mox enumerabo Romanae gentes patriciae uel a Bruto primo cõſule creatae ſunt, uel incertae erunt a ſuperioribus regibus incognito tempore lectae. Inter quas multas eſſe credendum eſt quae patriciae maiorum gentium fuerunt, multas quae patriciae minorum gentium, multas a Bruto, multas a ceteris regibus factas, quarum diſtinctio tẽporis uetuſtate omnino nunc exoleuit. Eas autẽ patricias omnes fuiſſe hoc potiſſimum argumento confirmari poteſt, quod ipſas eos magiſtratus tam ſacros ut pontificatus auguratus; quam profanos ut conſulatus, dictaturas, cenſuras, & reliquos eiuſmodi geſſiſſe inuenerim, quorum adminiſtratio plebeijs eo tempore interdicta erat

Fuerunt autem hae

Aebutia coſularis, cuius cognomina ſunt Helua, Cornicen, & Carus
Aeternia, alias Ateria conſularis, cuius cognomen Fontinalis
Aquillia conſularis, cuius cognomina Tuſcus, & Coruus
Atilia, cuius cognomen Longus
Caſſia conſularis & triumphalis, cuius cognomen Viſcellinus
Cominia conſularis, cuius cognomina Auruncus, & Laurentinus
Curtia conſularis
Foſlia conſularis, cuius cognomen Flaccinator
Genucia conſularis, cuius cognomen Augurinus
Herminia conſul. cuius cogn. Eſquilinus
Lucretia conſularis, & triumphalis, cuius cognomina Tricipitinus, & Flauus
Lartia conſularis, cuius cognomina Flauus & Rufus
Manlia conſularis, cuius cognomina Vulſo, Capitolinus, Torquatus, Imperioſſus, Atticus, Longus, Acidinus, Fuluianus, & Nobilior

Maelia ,cuius cognomen ſuit Capitolinus
Menenia conſularis , cuius cognomen Lanatus
Minucia conſularis , cuius cognomen Augurinus
Numicia conſularis , cuius cognomen Priſcus
Poſtumia conſularis , nobiliſſima , cuius cognomina fuere Tubertus , Albus,Regillenſis , Albinus , Magnus,Megellus , Paullulus , & Tempſanus
Rabuleia
Sempronia conſularis , cnius cognomen Atratinus fuit
Seſtia conſularis , cuius cognomen Capitolinus
Sicinia conſularis , cuius cognomen Tuſcus
Tarquitia , cuius cognomen Flaccus
Veturia conſularis , cuius cognomina Craſſus , Cicurinus , Geminus, Caluinus , Philo
Virginia conſularis , cuius cognomina Tricoſtus , Rutilus , Coelimontanus
Volumnia conſularis , cuius cognomina Amintinus Gallus

Hae itaque ſunt omnes Romanae gentes patriciae maiorum minorumque gentium,quas ante Caeſarem dictatorem ſuiſſe obſeruaui , nunc plebeias perſequar

Gentes Romanae plebeiae ante tempora Auguſti Caeſaris

Aburia
Aburnia . COGNOMEN . Valens
Accia . COGNOMEN Varus
Aceronnia . cogn . Proculus
Actia
Acilia conſularis . cogn. Glabrio , Balbus
Aceoleia , cogn. Lariſcolus
Acutia
Aelia, alias Allia conſularis. cogn. Paetus , Catus,Tubero,Gallus, Ligus , Stalenus,Stilo, Praeconinus, Ligur , Lamia
Afrania conſularis. cogn. Stellio
Albucia
Albia cons . cog . Carrinas
Alburia
Albinia
Alphinia cons . cogn. Varus
Ampia
Ambinia
Anicia cons . C. Gallus
Annaea
Annia cons . cogn. Luſcus , Rufus, Baſſus, Capra
Antonia cons. C . Pietas , Balbus
Antiſtia cons. cogn. Vetus , Reginus, Labeo
Antia . cog. Reſtio,Pollio
Ancia.cog. Briſſo
Appia
Appuleia cons. cogn . Panſa , Saturninus
Apronia cons . C. Siſenna , Coelianus
Apuſtia cons . C. Fullo
Aquillia conſul . cogn. Florus , Gallus, ſine cognomine
Arria
Arruntia conſularis
Aſinia cons . cogn . Pollio , Gallus, Agrippa
Atilia cons.cogn.Longus,Regulus,Calatinus, Bulbus,Serranus,Libo
Attia cogn. Plautus
Ateia cogn. Capito .
Atinia C . Labeo
Aufidia cons. cogn . Oreſtes , Tucca , Lurco
Aulia cons. cogn. Caerretanus
Aurunculeia
Aurelia cons. cogn. Cotta, Oreſtes , Scaurus
Autronia cons. cogn.Paetus , Craſſus
Auria . cogn . Vellenus
Axſia . cogn . Naſo

B

Bacchia cogn . Iudaeus
Baebia cons . cogn.Tamphilus , Diues

C

Caecilia cons.cogn. Metellus.etc
Caeſia
Caeſonia
Caedicia cons . cogn . Noctua
Caeſidia
Catia cogn . Fronto
Caruilia cons . cogn . Maximus
Canuleia cogn . Diues
Calpurnia cons . &c
Caluiſia . cogn . Sabinus
Canidia cons . C . Craſſus
Caninia cons . cogn . Rebilus , Gallus
Cariſia
Certilia
Caprilia
Carſania
Caſſia cons . cogn . Longinus , Varus , Rauilla , Kalenus
Ceſtia
Ceruidia
Cincla . cogn . Alimentus
Ciſpia
Cicereia
Cilnia cogn . Maecenas
Claudia cons. cogn . Marcellus , Glicia,Aeſerninus,Aſellus,Ruſus,Canina
Clitiia . cogn . Saxula
Cordia . cogn . Rufus
Cornificia cons
Corndia cog . Balbus

Cocceia

Cocceia cons. C. Nerua
Conſidia. cogn. Paetus
Coelia cons. cogn. Caldus, Rufus
Coponia
Coruncania conſularis
Coſſutia. cogn. Maridianus, Sabula
Crepereia
Crepuſia
Curia cons. cogn. Dentatus

D

Decimia. cog. Flauus
Decia cons. cogn. Mus
Digitia
Didias cons. cogn. Saxa
Domitia cons. cogn. Ahenobarbus, Caluinus
Duilia conſularis
Duronia

E

Egnatuleia. cogn. Maximus
Ennia
Eppia
Equitia

F

Fabricia cons. cogn. Luſcinus
Fannia cons. cogn. Strabo
Farſuleia
Fircelia. cogn. Pauo
Fictoria
Flaminia cons. cogn. Cilo
Flauia cons. cogn. Fimbria
Fonteia cons. C. Capito, Balbus
Furnia conſularis
Fuſia cons. cog. Calenus Strigo, Geminus
Fulcinia cogn. Trio
Fuluia cons. cogn. Paetus, Paetinus, Nobilior Flaccus, Curuus, cētu malus, Maximus, Gillo
Fundania cons. cognomen Fundulus

G

Gabinia cons
Gallia cogn. Lupercus
Gellia cons. cogn. Poplicola
Geminia
Genucia cons. cogn. Augurinus, Auentinēſis, Panſa, Clepſina
Grania cogn. Flaccus

H

Haterıa cons. cog. Agrippa, Antoninus
Herennia conſularis
Heluia, cogn. Blaſio
Hortenſia conſularis
Hoſidia cogn. Geta
Hoſtilia cons. cogn. Mancinus, Saſerna, Tubulus, Cato

I

Iunia cons. cogn. Brutus, Bubulcus &c
Iuuentia cons. cogn. Thalna

L

Laelia cons cogn. Sapiens, Balbus
Laenonia
Laetoria cons. cogn. Plancianus
Ligaria
Liuineia cogn. Regulus
Licinia cons. cogn. Caluus, Stolo, Varrus, Geta, Craſſus, Diues, Sacerdos, Mucianus, Frugi, Lucullus, Macer, Muraena, Nerua
Liuia cons. cogn. Salinator, Denter, Druſus, Libo
Lollia conſularis
Lucceia
Lucilia
Lucretia cons. cogn. Trio, Veſpillo, Offella, Gallus
Lutatia cons. cogn. Catulus, Cerco

M

Maelia cogn. Capitolinus
Maenia cons
Mamilia cons. cogn. Vitulus, Turrinus, Limetanus
Manilia conſularis
Mallia conſularis
Maſſuria cogn. Sabinus
Marcia cons. cogn. Rutilus, Cenſorinus, Philippus, Thermus, Tremulus, Figulus, Ralla, Rex
Maria conſularis
Metia
Memmia
Meſcinia
Metilia
Meſſia
Minatia, cogn. Sabinus
Minucia cons. cogn. Augurinus, Rufus, Thermus, Pica, Melliculus
Mucia cons. cogn. Scaeuola, Augur, Cordus
Mummia cons. cogn. Achaicus
Munatia cons. cogn. Plancus
Muſſidia cogn. Longus

N

Naeuia cogn. Matho
Naſidia
Neratia
Nigidia cog. Figulus
Nonia cons. cogn. Quinctianus, Suffenas, Aſprenas
Norbana cons. cogn. Flaccus
Nouia
Numitoria
Numitia
Numonia cogn. Vala
Numeria

O

Obulcia *

Octauia cons. cogn. Rufus, Thurinus
Ogulnia cons. cogn. Gallus
Oldia
Opinnia conſularis
Opelia

Lapis effossus extra portam Pian anno M·DXCII

C·EGN..... C·L· PROTVMVS
C·EGNATIVS C·L· DIOMEDES
C·EGNATIVS·C·L· EVALPVS
NOMENCVLATOR
ATTICE·Ɔ·L· HERMIONE ...ONICUS

Otacilia cons. cogn. Craſſus
Oppia.cogn. Cornicen
Ouidia.cogn. Naſo
Ouinia

P

Paconia
Pacuuia
Pactumeia
Papiria cons. cogn. Carbo
Papia cons. cogn. Milo, Mutilus
Pedia conſularis
Petillia cons. cogn. Spurinus, Capitolinus
Perperna
Perſius
Petronia cogn. Paſſer, Sabinus, Turpilianus
Pipia
Plancia
Plautia cons. cogn. Proculus, Decianus, Venno, Venox, Ypſaeus, Siluanus, Plancus
Plutia
Pontificia
Poetelia, cons. cogn. Libo, Viſolus, Balbus
Poppaea cons. cogn. Sabinus
Poblicia cos. cognom. Malleolus, Bibulus
Plaetoriae cons. cogn. Ceſtianus
Pompeia cons. cogn. Magnus, Strabo, Rufus, Bithynicus
Pomponia cons. cogn. Matho, Atticus, Muſa, Molo, Flaccus, Vitulus
Pontia cogn. Niger
Popillia cons. cogn. Laenas
Porcilia
Porcia cons. cogn. Cato, Licinus, Lecca
Proculeia
Publilia cons. cogn. Philo, Vulſcus
Pupia conſularis

R

Recia
Roſcia cogn. Regulus, Fabatus, Amerinus
Rubellia cogn. Geminus
Rupilia conſularis
Rutilia cons. cogn. Lupus, Rufus, Craſſus, Caluus
Rubria
Ruſtia

S

Sabellia
Saenia
Salonia
Saluia
Saluſtia. cogn. Criſpus
Satureia
Sanquinia cogn. Maximus
Satria
Sauſeia
Scribonia conſularis
Scutaria
Sertoria
Sempronia cons. cogn. Sophus, Tuditanus, Longus, Blaeſus, Gracchus, Aſellus
Seruilia cogn. Casca. Ahala. Caepio
Sentia cons. cogn. Saturninus, Augurinus
Septia
Serueia. cognomen Rufus
Septimia
Stertinia
Sextia cons. cogn. Sextinus, Lateranus, Sabinus
Sextilia
Sicinia cogn. Dentatus, Bellutus
Silia
Soſia conſularis
Spurilias
Statilia cons. cogn. Taurus
Statia
Suilia

T

Taria cons. cong. Rufus
Tenatia
Terentia cons. cogn. Varro, Muraena, Culeo, Meſſalla, Pariſter
Totinia cogn. Longus
Titia
Titurія cogn. Sabinus
Thoria cogn. Balbus
Torannia
Trebonia cos. cogn. Flauus, Aſper, Criſpus
Trebatia
Tuccia
Tremellia, cogn. Scrofa, Flaccus
Tullia, cons. cogn. Decula, Cicero
Turpilia

V

Valgia cons. cogn. Rufus
Varunteia
Varia
Vatinia conſularis
Ventidia cos. cogn. Baſſus
Velleia
Venuleia
Vetteia. cognomen Sabinus
Vennonia
Veſpaſia
Vettennia
Vettacia
Vibia cons. cogn. Panſa, Habitus, Rufinus, Poſtumus, Varus, Paullus
Vinia
Villia cogn. Annalis, Tappulus
Vipſania cons. cogn. Agrippa
Vinicia
Vindia
Vitellia.
Viſeia
Viſellia cons. cogn. Varro
Volſcia cogn. Fictor
Voconia
Voleatia cons. cogn. Tullus
Volteia
Volummia cons. cogn. Flamma, Violens, Eutrapelus
Voluſia

Cur ex iiſdem gentibus quaedam patriciae, quaedam plebeiae fuerint

In enumerandis Romanis gentibus, ſaepe uidimus unius gentis ac nominis familias alteram quidem patriciam, alteram plebeiam fuiſſe, ut in Caſſia, Sempronia, Aquillia, & aliis eiusmodi; quod cur acciderit multae cauſſae, quas nunc exponam, fuerunt. Quarum praecipua eſt, quod nō ab eodem ambae auctore deſcenderent, ut ſi quis familiam M. Tullij Longi, qui patricius paulo poſt reges exactos conſul fuit, quae a Ser. Tullio rege deduceretur, diuerſam eſſe a M. Tullij Ciceronis oratoris familia dixerit, qui plebeius fuit, quam a Tullo Actio Volſcorum rege, qui multo poſt Ser. Tullium regem uixit manaſſe, quibuſdam (ut tradit Plutarchus) placuit. Alterā quod quum patricij ex aliqua gente facti ſint a regibus, ex eadem etiam fuerunt quidam inter plebeios relicti, ita ut horum poſteri plebeij, ut illorum patricij fuerunt, quamquam ex eodem fonte manarent, qua ratione Iunij patricij & plebeij fuerunt. Tertia quod ex patricia aliqua gēte alij ad plebem ſe contulerint, alij in patriciatu remanſerint, ex plebeia uero alij a plebe ad patres tranſire potuerunt, alij non tranſierint. Nam Tranquillus ſcribit gentem Octauiam in patricias a rege Ser. Tullio tranſductam, procedente tempore ad plebem ſe contuliſſe. L. etiam Minucium Augurinum patricium ad plebem tranſiiſſe, & tribunum plebis XI. factum eſſe, tradit Plinius. Cicero uero in Bruto: Tranſitiones (inquit) a plebe ſunt, quum homines humiliores in alienum eiuſdem nominis infunduntur genus, ut ſi ego me a M. Tullio eſſe dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio cos. fuit. Quamquam eiuſmodi a plebe ad patres tranſitiones, niſi per adoptionem, nunquam ante Caeſaris dictatoris tempora factas fuiſſe animaduerterim. Quarta ab adoptione, ut quum plebeius a patricio, aut e contra patricius a plebeio adoptaretur; neceſſe enim erat adoptatum conditionem ſequi adoptantis, ita M. Brutus plebeius a Q. Caepione patricio adoptatus, & Q. Caepio Brutus dictus; & P. Scipio patricius a Q. Metello plebeio adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebeiam Scipionum familiam reddiderunt; itidem de familia Claudia plebeia in patriciam Corneliam Lētulorum trāſducta a P. Cornelio Lentulo Marcellino dici poteſt. Quinta a libertate cauſſa erat. Liberti enim aſſequebantur nomen domini gentilicium, at conditionem ſi patricius eſſet, non aſſequebantur. Vnde Horatius Flaccus plebeius, quum & Horatii patricii ſint. Quamquam nec qui adoptione, nec qui manumiſſione in alienam gentem migrabant, gentiles cum his fuiſſe, ex Scaeuulae definitione uidetur, uel a quibus uel ad quos tranſibant: illi quod capite diminuti eſſent, hi quod ſeruitutem ſeruiſſent, ut in Topicis Boetius exponit. Sexta poſtremo erat a ciuitate, nam qui ciuitatem beneficio alicuius patricii impetrabant, hi nomen eius tantum adipiſcebantur, in plebe autem remanebant, & ſi quae aliae ſunt eiuſmodi. Has igitur ob rationes quaedam Romanae gentes tantum plebeiae; quaedam patriciae, & plebeiae fuerunt. Primus poſt reges exactos & Claudiam familiam inter patricias per populum lectam, veteribus patriciis iam deficientibus, Caeſar dictator ex plebeis familiis patricios legit (ut Tranquillus, & Dio ſcribunt.) Inter quos Octauia, Iunia, Tullia, Domitia, Antonia, Caſſia, Claudia, quae Marcelli cognomen habebat, Calpurnia, Caecilia, Licinia, Marcia, Aurelia, & pleraeque aliae fuerunt. Poſt Caeſarem ut iidem Dio, & Tranquillus tradunt, Auguſtus etiam alios patricios legit. Poſt Auguſtum Claudius, ut Tacitus libro XI. refert his uerbis. Claudius imp. in cenſura In numerum patriciorum adſciuit uetuſtiſſimum quemque e ſenatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant, exhauſtis etiā quas dictator Caeſar lege Caſſia, aut princeps Auguſtus lege Saenia ſublegere. Poſt Claudium Veſpaſianus imp. in cenſura patricios nouos legit, ut Iulius Capitolinus in Pio auctor eſt. Poſt Veſpaſianum Domitianus, Traianus, Hadrianus, Pius, Marcus & reliqui deinceps imperatores arbitratu ſuo uetuſtiſſimos, aut nobiles ſenatores in patricios cooptabant, durauitque eiuſmodi conſuetudo Romae uſque ad imperii caſum, Conſtantinopoli uero uſque ad nouiſſima eius imperii tempora. Haec autem ſunt quae de familiis patriciis plebeiisque Romanis, apud ueteres auctores extare didici, cui tractationi finem imponam, quum quid inter familias nobiles & nouas interfuerit oſtendero. Nam genus patricias uel plebeias familias facit, nobilitatem uero uel ignobilitatem honores. Ac primum quidem nobiles tantum patricii dicti ſunt, quippe quibus primum honores hi ex quibus nobilitas comparatur in rep. patuerunt. Poſt autem plebeii etiam, ubi primum ad curules honores peruenerunt, nobiles dici cepti ſunt, neque enim ut dixi, ex genere nobilitas, ſed ex imaginibus parabatur. Si quidem hi nobiles dicti quum multas maiorum ſuorum imagines haberent, imaginem autem ſui ponere, ac poſteris tradere, non poterant, niſi qui curulem magiſtratū geſſiſſent, quorū poſt aliquot tempora primus eſſe coepit aedelitas curulis, qui magiſtratus ante patriciis patuit, quam plebeiis. Erat autem imago ſimulachrum eius qui curules magiſtratus geſſiſſet, oris ſimilitudinem affabre miroque artificio effictam, coloribus, pigmentisque adumbratam referens, quam in inſigniori domus parte colloca-

bant

bant,ut tradit Polybius, De iure ponendarum imaginum, ſic Cicero in Verrem; Ego me ob aedilitatem mihi delatam adeptum eſſe intelligo antiquiorem in ſenatu ſentẽtiae dicendae locum, togam praetextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memoriam, poſteritatemque prodendam. Et contra Rullum: Eſt hoc in more poſitum, ut ij qui beneficio ueſtro imagines familiae ſuae conſequuti ſunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii ueſtri cum ſuorum laude coniungant. Eſt autem conſequi imagines familiae, magiſtratus curules a maioribus ſuis item geſtos capere. Hique nobiles appellabantur qui plures maiorum imagines referre poſſent. Noui autem dicti ſunt, qui nulla maiorum commendatione, ipſi primi ad magiſtratus curules peruenerunt, ut Plutarchus in Catone auctor eſt. Vnde Cicero in Rullum. Me (inquit) hominem nouum conſulem feciſtis. Item: quemadmodum quum petebam nulli me uobis auctores generis mei commendarunt, ſic ſi quid deliquero, nullae ſunt imagines quae me a uobis deprecentur. Et in Piſonem: obrepſiſti ad honores commendatione fumoſarum imaginum. Et libro I. Liuius: Ancus Marcius nobilis una imagine Numae: Et libro III. Ap. Claudium uirum honoratiſſimae imaginis futurum ad poſteros, legum latorem, conditoremque Romani iuris. Et Tranquillus in Veſpaſiano: Gens Flauia obſcura illa quidem ac ſine ullis maiorum imaginibus, ſed tamen reip. non poenitenda. Pedianus; Cicero competitores quattuor plebeios habuit, ex quibus duo nobiles, duo qui tamen non primi ex familiis ſuis magiſtratum adepti erant. Et Liuius libro XXII. Nec finem ante belli habituros quã conſulem uere plebeium, ideſt hominem nouum feciſſent, nam plebeios nobiles iam iiſdem initiatos eſſe ſacris, & contemnere plebem ex quo contemni deſierint a patribus. Ex quibus teſtimoniis duplicem quandam populi Romani diuiſionem habemus, quarum altera ad alteram nihil pertinet. Ex populo enim Romano quidam patricii quidam plebeii. Item quidam ignobiles uel noui, & quidam nobiles: ſunt enim & plebeii nobiles & noui, ſunt etiam & patricii nobiles & noui; hi ſcilicet qui nullas maiorum imagines referre poſſunt, quemadmodum de Scanio principe ſenatus refert Pedianus, qui quamquã patricius, homo tamen nouus appellatur a Cicerone, quod aliquot ſupra eum aetatibus iacuiſſet fortuna familiae eius

De Praenominibus

De praenominibus autem acturo, illud primum mihi quaerendum eſſe uidetur, quid praenomen ſit, deinde cur praenomina nominibus gentiliciis a Romanis praeponerentur, & an ipſi an alii eius inſtituti auctores fuerint. Quibus rebus examinatis eorum poſtremo ſeriem, & rationem, quaeque his conſentanea erunt aperire conabor. Praenomen itaque quod Graeci πρόνυμον dicunt, ut libro primo cap. II. tradit grammaticus Diomedes, eſt quod nominibus gentiliciiis praeponitur, quo fratres aut gentiles, qui ſunt eiuſdem familiae, inter ſe diſtinguerentur, inuentum. Exempli gratia, Is qui primus auctor gentis Valeriae fuit, Voluſusque appellatus eſt, tres aut quattuor filios tulit, qui quum omnes Valeſij id eſt, Voluſo nati uocarentur, aliquod praeterea aliud nomen quo inter ſe diſtingui poſſent inueniendum fuit, quo ornarentur. Quare eius gentis princeps aliquot nomina aut de nouo excogitauit, aut ab alijs uſurpata accepit, quibus ſingulos filios differẽtiae cauſſa affecit, quae a variis euentibus deducta erant: puta primũ liberorũ, quod fortaſſe mane natus eſſet Manium uocauit Valeſium, alterum quod prima luce Lucium, tertium quod ſecus Tiberim Tiberium, & ſic in reliquis obſeruauit. Quae quum nominibus gentiliciis praeponerentur, praenomina dici coepta ſunt. Haec ſi originem ſpectare uoluerimus ſecundum locum obtinent, nomina enim gentilicia primum in vſu fuerunt, poſt praenomina, ſi uſum, primum, quum nominibus gentiliciis praeponantur. Eiuſmodi omnia diſerte M. Varro libro VIII. de lingua Latina docet. In noſtris nominibus (inquit) qui ſumus in Latio, & liberi, neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia; ac dicitur Terentius uir, Terentia femina, Terentium genus. In praenominibus ideo non fit item, quod haec inſtituta ad uſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomina gentilicia, ut a numero prima, ſecunda, tertia, & quarta; In viris ut Quinctus, Sextus, Decimus; ſic ab aliis rebus, quum eſſent duo Terentii, aut plures, diſcernendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant; forſitan ab eo qui mane natus diceretur, ut is Manius eſſet, qui luci Lucius, qui poſt patris mortem Poſtumus. Hoc idem libro ſecundo explicat grammaticus Priſcianus. Qui cur Romani nomina duplicauerint rationem reddens, cauſſas affert duas, alteram, ut ii qui in una quaque familiã eodem nomine uterentur, praepoſito aliquo alio nomine, quod deinde praenomen dixerunt, a ſe inuicem diſtinguerentur. Alteram (quam parum ueram exiſtimo) ad Sabinorum gratiam beneuolentiamque confirmandã, quos Romulus in ciuitatem ſuſcepit; cum interim huiuſce rei cauſſa, aut ſuis Sabinorum nomina, aut contra ſua Sabinorum nominibus praeponerent. Quod, quamquam etiam in Romulo referat Eutropius, tamen nuſquã me legiſſe recordor, ne unum quidem praenomen a Romanis uſurpatum, nomen aliquando fuiſſe Sabinum, aut e contra. Quam rem ita eos intellexiſſe crediderim. Prae-

nominu.n

nominum aliqua fuiſſe a Sabinis tantum, aliqua uero a Romanis uſurpata,eaque deinde poſt Sabinorũ in vrbẽ aduentũ promiſcua facta. Quae quũ ita ſint,multiplicari deinde coepta eſt haec ratio nominandi,neque enim praenomine,aut nomine tantũmodo ueteres illi contenti fuerũt, ſed cognomen etiam,atq; (ut quibuſdam placet) agnomen addidere; de quorum ratione poſtea quã de praenominibus diſputauero,quid ueteres ſenſerint,explicabo. Haec autem praenomina, hac ratione inuenta,nominibus gentiliciis praeponi debere,praenominaq; ab antiquis appellata fuiſſe,ſatis manifeſtum eſſe exiſtimo,quũ ex eo quod ſupra rettuli M.Tullij ad Atticum de Euthychi de teſtimonio,tum ex his,quae modo ſubijciam. C.Titius Probus in epitoma lib.X.Valerii de antiquis nominibus ita differit. Omnia (inquit) quae ad unumquemq; noſtrum definiendum excogitata ſunt,eandem uim ſignificandi hominis obtinent:quod per proprietatẽ dicitur, hoc diſtat, quia eo genus cognoſcitur,ideoq; dicitur gentilicium,cetera ordine uariãtur,nam quod praeponitur praenomen,quod poſt fertur cognomen,quod ad ultimum dicitur agnomẽ uocatur. Hoc idem etiã ſenſiſſe uidentur, Diomedes,Donatus P.Conſentius,Cariſius,& Priſcianus grãmatici, quorũ omniũ quo loco de nominibus propriis agũt,haec proprie uerba ſunt. Vocabulorũ perſonã ſignificantiũ quattuor ſunt ſpecies,praenomẽ,nomen,cognomen,& agnomẽ. Praenomẽ quod nominibus gentilicijs in loquendo praeponitur ut Marcus,Publius,Cnaeus Nomen gentiliciũ, ideſt quod originẽ gentis uel familiae declarat,eiſq; eſt cõmune,ut Porcius,Cornelius,Põpeius. Porcii.n.omnes in eo genere dicuntur. Cognomẽ eſt quod nomibus gentilicijs ſubiungitur, ut Cato, Scipio,Magnus. Agnomen eſt quod extrinſecus cognomini adijci ſolet ex aliqua ratione quaeſitũ,ut Africanus,Aſiaticus,& Macedonicus. Ordinantur autẽ ſic:M.Porcius Cato,Q.Caecilius Metellus Macedonicus,P.Cornelius Scipio Africanus,CN.Põpeius Magnus. Hãc aut duplicandorũ,uel triplicandorũ nominũ cõſuetudinẽ recẽtiorẽ fuiſſe, & a Romanis inuentã M.Varro auctor eſt,ut eſt apud Probũ:Varronẽ autẽ maxime haec ratio mouit,quod in Italia ante vrbẽ cõditã noĩa ſimplicia homines habuiſſe animduertit. Romulus.n.Remus,& Fauſtulus neq; praenomẽ ullũ,neq; cognomẽ habuerunt. Huc etiã Appianus ſpectaſſe uidetur,quũ in prooemio hiſtoriae ſcripſit;Romanos uno primũ noĩe uſos ſeſe,poſt duobus,poſt tribus. Varronis & Appiani ſententiã forte ſequutus eſt Priſcianus. Alij autẽ a Varrone diſſentientes, Romanos eius rei auctores nequaquã fuiſſe volunt,ſed hoc a uicinis gẽtibus, ut Albanis,& Latinis eos accepiſſe tradiderunt, qui & ipſi id a Graecis ſumpſerũt,ut pleraq; alia;quũ ante vrbẽ conditã mater Romuli Rhea Silvia uocata ſit,Numitor itẽ,& Amulius Siluii nominati,neq; his contenti altiores Albanorũ reges repetentes,eos binomios fuiſſe oſtendunt,ut Capetum,Agrippam,Capim,Aremulũ,& alios quos oẽs Siluios uocatos fuiſſe conſtat,itidem de poſterioribus ducibus non tantũ Albanis,ſed etiã Sabinis,Aequicolis,& Etruſcis,ut Metio Suffettio,Tito Tatio,Numa Põpilio,patreq; eius Põpone Põpilio,Metio Curtio,Larte Porſenna,Septimio Meſio Aequicolarũ rege,& Sertore Reſio. Quibus rationibus duplicandorũ nominũ uſum Romanos auctores non fuiſſe opinantur. Cõfirmauit hanc eorũ ſententiam apud Diomedem Aruntius Claudius lib. primo cap. II.& Valerius ipſe Maximus in eadem epitoma. Nam Aruntius hanc multiplicandorũ nominum conſuetudinem Romanos a Graecis habuiſſe ſcribit, cum apud illos plerique fuerint, qui ſicut poſtea Romani conſueuere,duobus uel tribus nominibus uſi ſunt, ut Vlixes Pelidas, Agamemnon Atrides,Oreſtes Heraclides,Palaemon Melicertes, Aſtianax Scamander:quorũ prius praenominis ſequens uero nominis gentilicij uice fungebatur, ſicut eſt apud Romanos Numa Pompilius, Tullus Hoſtilius, Ancus Marcius, Ti.Coruncanius, Q.Hortenſius. Alij item tria nomina habebant, ſicut Achilles Aeacides Celer, Pyrrhus Aeacides Neoptolemus,Alexander Dardanius Paris, quorum prima nomina praenominis officium habebant,ſecunda nominis,quod originem familiae declarent, tertia uero cognominis,quod uel a rebus geſtis, ut Paris, uel a qualitate corporis, ut Caeler inditum fuerat. Valerius autem,Romanos (inquit) arbitrandũ eſt ab Albanis,& Sabinis multiplicandorum nominum conſuetudinem traxiſſe, quoniã ab illis orti ſunt, eos uero id a Graecis mutuatos facile crediderim, & praeſertim Albanos, qui a Graecis Aſiaticis Troianis originẽ trahunt. His itaque rationibus ego etiam aſſentior,quippe qui etiam hunc uſum apud Italos populos fuiſſe, & alijs praeterea eos quibuſdam praenominibus a Romanis uſos eſſe inuenerim: Remum ac Romulum aut quia Spurii fuerunt gentis nomine caruiſſe, aut certe ex Siluia gente, cuius & mater erat extitiſſe exiſtimo. Fauſtulus uero quãquam unum tantum nomen habuerit, parum refert,cum in hominibus nouis,& humilibus,praecipueq; paſtoribus,ut ſupra expoſui,id fieri inconueniens non ſit,cum primũ uno nomine appellari coepti ſint,poſtea pluribus;quãquã Fauſtulũ ipſum,quem Liuius lib.primo regij pecoris magiſtrum fuiſſe ſcribit e Pomponia gente fuiſſe cõpererim,Fauſtulumq; praenomẽ eius eſſe. Diſtinguendorũ tamen filiorũ,atq; nepotum cauſſa inuenta praenomina eſſe,Varroni grauiſſimo ſcriptori facile aſſentior

Multa igitur uocabulorum genera erant, quibus ueteres Romani appellabantur, quorum quantum ad uſum primum erat praenomen,quod Plutarchus modo primum nomen,modo proprium nomen; Dionyſius uero commune nomen appellat. De quorum numero, & etymolo-

gia diſputaturus, illud in primis animaduertere operaepretium eſt. Nomina gentilicia, & cognomina ſine numero apud antiquos fuiſſe, ut auctor eſt apud C. Titium Probum M. Varro, qui etiam praenomina aetate ſua circa triginta fuiſſe ſcribit. Ego autem multo plura quam XXX. inueni, cum his tamen quae & Varronis tempore iam eſſe praenomina deſierant, & poſt eius tempora praenominum loco uſurpata ſunt. Praenominum autem duo genera facio. Alia enim a Romanis praecipue, alia a finitimis populis frequentata fuiſſe reperio. Peregrina ſunt Faunus, Picus, Latinus, Turuus, Auẽtinus, Aimilius, Numitor, Fauſtulus, Metius, Pompo, Lucumo, Petro, Tallus, Tutor, Septimius, Allius, Ouius, Octauius, Herennius, Attius, & ſimilia; Romana uero ſunt haec ſex & quadraginta. Agrippa, Ancus, Appius, Arruns, Aulus, Caeſo, Caius, Cnaeus, Coſſus, Denter, Decimus, Druſus, Egerius, Fauſtus, Hoſtius, Iulus, Lar, Lucius, Mamercus, Mamurius, Manius, Marcus, Nero, Numerius, Numa, Opiter, Poſtumus, Proculus, Paullus, Potitus, Publius, Quinctus, Romulus, Remus, Sextus, Seruius, Sertor, Spurius, Statius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus, Volero, Voluſus, Vopiſcus. Ex his autem quaedam frequẽtiori in uſu erant, ut haec XVIII. Appius, Aulus, Caius, Caeſo, Cnaeus, Decimus, Lucius, Mamercus, Manius, Marcus, Numerius, Publius, Quinctus, Sextus, Seruius, Spurius, Titus, Tiberius; quaedam uero minus frequentata fuerunt, ut reliqua VIII & uiginti. Quorum etiam quaedam ſemel tantum uſurpata reperiuntur, ut haec XIII. Ancus, Coſſus, Egerius, Druſus, Iulus, Lar, Mamurius, Nero, Romulus, Remus, Paullus, Potitus, Voluſus; quaedam uero & ſi raro admodum eis uti mos fuerit, plures tamen ijs vſi ſunt, ut haec XV. Agrippa Denter, Fauſtus, Arruns, Hoſtius, Numa, Opiter, Poſtumus, Proculus, Tullus, Sertor, Statius, Vibus, Volero, Vopiſcus. Eorum item ſex & uiginti praenominum, quae minus uſurpari ſolita erant, quaedam cum ante cognomina eſſent, poſt longum temporis interuallum praenominis officio functa ſunt, ut haec ſex Coſſus, Druſus, Iulus, Nero, Paullus, Volulus, & Potitus. Quaedam uero ſuapte natura, & cum primum inuenta fuere, praenomina eſſe coeperunt, ut reliqua. Quorum etiam quaedam pro cognominibus aliquando uſurpata ſunt, ut haec ſex Agrippa, Denter, Fauſtus, Proculus, Poſtumus, & Tullus, quaedam praenominis loco ſemper functa, ut reliqua XV. De quorum notis, origine, ſignificatione, atque uſu, ea quae quanta maxime potui diligentia, ex ueteribus auctoribus collegi modo tradere peroportunum eſt. Atque illud ante omnia eſt ſcitu dignum, ut in quaeſtionibus Plutarchus, Soſipater, Diomedes, Cariſius, Donatus, Priſcianus, & P. Conſentius auctores ſunt, ipſeque antiquiſſimis quibusque in nummis & marmoribus & praeſertim Capitolinis obſeruaui: Romanorum pronominum alia ſingulis, alia binis, alia ternis, alia uero pluribus, uel omnibus litteris ab antiquis deſcribi ſolita. Ex ſex igitur & quadraginta praenominibus, vndecim ſingulis litteris ſcribebantur. Quae erant A. AVLVS C. CAIVS. K. CAESO. D. DECIMVS. L. LVCIVS. w. MANIVS. M. MARCVS N. NVMERIVS. P. PVBLIVS. Q. QVINCTVS. T. TITVS. ut. A. Sempronius. C. Marius. K. Duilius. D. Iunius. L. Papirius w. Valerius. M. Claudius. N. Fabius. P. Mucius. Q. Curtius. T. Virginius. Binis uero haec ſex, ideſt AP. APPIVS. CN. CNAEVS. SP. SPVRIVS. TI. TIBERIVS. OP. OPITER. ST. STATIVS. ut Ap. Claudius CN. Pompeius. Sp Poſtumius. TI. Sempronius. Op. Virginius. St. Caecilius. Ternis uero haec quattuor. MAM. MAMERCVS. SEX. SEXTVS. SER. SERVIVS. TVL. TVLLVS ut Mam. Aimilius. Sex. Furius. Ser. Sulpicius. Tull. Hoſtilius. Reliqua autẽ praenomina aut integra, aut pluribus litteris ſcribentis arbitrio exarata fuiſſe animaduerti. Sunt autem haec ſex & uiginti AGRIPPA. ANCVS. ARRVNS. COSSVS. DENTER. DRVSVS. EGERIVS. FAVSTVS. HOSTIVS. IVLVS. LAR. MAMVRIVS. NERO. NVMA. NVMERIVS. PAVLLVS. POTITVS. POSTVMVS. PROCVLVS. ROMVLVS. REMVS. SERTOR. VIBIVS. uel VIBVS. VOLERO. VOLVSVS. VOPICVS. Ex his autẽ quaedã in tabulis Capit. adhuc ſuperſunt, ut haec ſex. AGRIPPA. Anno CCL. AGRIPPA. MENENIVS. LANATVS. Item Anno CCCXXIIII. AGRIP. F. HOSTIVS Anno CCCXXXVI. P. LVCRETIVS. HOSTI. F. VIBVS. ſiue. VIBIVS. Anno CCC. P. SESTIVS. Q. F. VIBI. N. VOLERO. Anno CCCLIV. L. PVBLILIVS. L. F. VOLER. N. PHILO. VVLSCVS. VOLVSVS. Anno CCCXXXVIII. C. VALERIVS. L. F. VOLVSI. N. POTITVS. VOLVSVS. & Anno CCC.XLIX. C. VALERIVS. L. F. VOLVSI. N. &c. VOPISCVS Anno CCCLII. L. IVLIVS. C. F. VOPISCI. N. De reliquis uero XX. quamquam marmorum teſtimonia non extent, qua nam ratione exarata fuerint, ea tamẽ integra ſcribi ſolere exiſtimo. Quum autem multae horũ praenominum notae uel uetuſtate, uel librariorum uitio prorſus exoleuiſſent, aut in alias litteras ſe transformaſſent, omnia ex Faſtis Capitolinis ita expoſita ſunt & ſuis locis reddita, germanisque ſuis litteris & notis diſtincta, ut nihil illuſtrius eſſe poſſit. Atque haec de notis quibus ſcribebantur in uniuerſum dicta ſufficiant, nunc ſingillatim de ijs eſt pertractandum

AGRIPP. AGRIPPA. Ac primum quidem Agrippam eum appellatum eſſe ſcribunt Plinius lib. VII. cap. VIII. Quinctilianus lib. IX. Aulus Gellius, Sex. Pompeius, & Nonius Marcellus

qui

qui cum labore matris ſit editus exempli cauſſa in pedes non in caput, (ritu enim naturae in caput hominem oriri mos eſt pedibus efferri) ab aegro partu dictum quemadmodum natum eſſe M. Vipſanium Agrippam Auguſti generum ſcribit Plinius lib. VII. cap. VIII. Alij Agrippam dicunt, quaſi aegre pedibus natum, cum hi proprie dicerentur Agrippae, quorum in naſcendo non caput ſed pedes primi exierunt, qui partus difficillimus, aegerrimusque habetur. Agrippa cum prius praenomen eſſet, quo priſcis temporibus regem Albanorum Agrippã Siluium primum, deinde Menenios, & Furios uſos eſſe ſupra demõſtraui, ſequentibus temporibus in cognomẽ tranſijt apud Romanos in Vipſaniorum, Aſiniorum, & Hateriorũ familijs.

ANCVS. Ancum, ut eſt apud Valerium, Varro a Sabinis tranſlatum putat. Idem Valerius eum Ancum appellatum ſcribit, qui uitioſum habeat cubitũ qui ἀγκὼν Graece dicitur. Sex. uero Pompeius, Ancus (inquit) appellatur, qui aduncum brachium habet ita ut exporrigi non poſſit ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνα, ideſt a cubito incuruo; ſicut etiam Ancona, ſiue Ancon, Piceni urbs dicta eſt, uoce Graeca, a cubito curuo. Fuit autẽ praenomẽ quarti Romanorũ regis Anci Marcij, & Anci Publicij imperatoris Lanuuini cõtra Hoſtilium regem: de quo Dionyſius; qui ſic dicti ſunt a cubito quem incuruum habebant.

AP. APPIVS. Appij praenomẽ ex Sabinis ortum eſſe lib. X. refert Valerius, forte ex praenomine Sabino Actio; alij ab Apibus, uel ab Appulis dictum exiſtimant. Primus autem ita appellatus eſt Actius Clauſus ille, qui poſtea Appius Claudius Sabinus dictus eſt, princeps gentis Claudiae patriciae. Hinc uia & aqua Appiae, necnon etiam uuae Appianae, niſi mauis eas ab apibus dictas. Appij autẽ praenomẽ propriũ reip. tẽporibus Claudiis patricijs tantum fuit, etenim non omnia omnibus familijs praenomina communia fuerũt, ſed alia alijs peculiaria, quemadmodum ſingillatim prout occaſio dabitur, oſtẽdam. Poſt Auguſti uero tempora in Faſtis conſularibus quendam ex gente Iunia hoc praenomine uſum inueni, qui Ap. Iunius C. F. Silanus exaratus eſt. Hoc etiã religioſa praenominũ obſeruatione paulatim labante, in familiae nomen ſub Domitiano tranſijſſe teſtatur lapis antiquus, & Plinius ut ſupra oſtẽdi. A praenominib. aũt unã ſaltem gẽtẽ, ali quãdo uero duas, uel tres manaſſe libro primo Saturnalium docet Macrobius. Quod etiam in praenomine Appii, a quo Appicios fluxiſſe opinor accidit In lapide. n. antiquo reperitur C. APPICIVS. Cognomen etiã Appiani ab Appio praenomine deducitur: cognomina enim ex praenominibus oriri, conſtat ut a Caio Caianus, a Lucio Lucullus, & a Marco Marcellus.

ARRVNS. Arruns praenomẽ Dionyſio auctore Tuſcum fuit, Romae in gente Tarquinia celebratum, quo & Priſci, & Superbi Tarquiniorum filij uſi ſunt. Hoc nomine affectus fuit uates quidam Tuſcus diuinandi ſcientia inſignis, de quo Lucanus libro primo

Arruns: incoluit, deſertae moenia Lunae. Ab Arrunte crederem Arruntium nomen manaſſe, nam antiqui conſonantes non geminabant auctore Quinctiliano

A. AVLVS. Porro autem Aulos eos dictos eſſe putat Valerius, qui diis alentibus naſcerentur; alij ab olla, aulam enim ollam ueteres dicebant, ut auctor eſt Quinctilianus, a qua Aulularia Plauti. Ab Aulo praenomine Auliorum gens deducta eſt, inter quos anno vrbis conditae CDXXXII. Q. Aulius Q. F. Cerretanus cum C. Sulpicio Longo II. cos. fuit

K. CAESO. De Caeſone autem Valerio lib. X. & Sex. Pompeio auctoribus, ſatis conſtat, eum primo Caeſonem dictum eſſe, qui ex utero matris mortuae eſſet exectus. Plinius quoque lib. VII. cap. IX. Primus Caeſar a caeſo matris utero dictus, qua de cauſſa & Caeſones appellati. Caeſonis autem praenomen hac nota K. ſcribi debere Faſti docent Capitolini, quae cum librariorum culpa, uel temporis uetuſtate adeo interijſſet, ut non ſolum nulla ueſtigia ſui nobis reliquiſſet, verum etiam in alia praenomina ut C. & Cn. in libris Latinis ſe tranſtuliſſet, ex antiquis illis tabulis, uetuſtiſſimisque codicibus facile reſtituta eſt. Nam cum in Faſtis Capitolinis K. F. K. N. eos deſcribi uidiſſem, quos in Fabiorum familia, Caeſonis filios aut nepotes fuiſſe Liuius & Dionyſius ſcribunt, pro K. Caeſonem debere intelligi exiſtimaui. De qua nota etiam Terentius Scaurus ſcripſit. Ea autem potiſſimum littera ipſos uſos eſſe in hoc praenomine exiſtimandum, ut a Caio quod C. littera notatur diſtingui ac internoſci poſſet

C. CAIVS. Cai vero praenomen a gaudio parentum ſumptum eſſe tradit eodem libro Valerius, & eſt dictio diſſyllaba niſi per diereſim ex i conſonante facias uocalem, ut eſt apud Martialem: Peruigil in pluma Caius ecce iacet. Hoc pronomen profertur per G & ſcribitur per C ut Diomedes his uerbis teſtatur: G nona conſonans eſt in cuius locum C ſolebat apponi, ut & hodie quũ Gaium Caeſarem notamus, ſcribimus C. Caeſarẽ. Ideoque poſt B litteram tertio loco digeſta eſt: & apud Graecos Γ. poſita reperitur in eo loco. Haec nota hac ratione Ͻ. inuerſa mulierem Caiam auctore Quinctiliano libro primo cap. XIII. ſignificat, ut latius paulo poſt oſtendam

CN. CNAEVS. Cnaeos ab aliqua inſigni re quaſi γένναιος, uel a γενναῖος ideſt a generatione futura appellatos eſſe auctor eſt Pompeius. Valerius a naeuo tractum putat, quod eo praenomine praecipue nominarentur, qui naeuum aliquẽ naſcẽtes habuiſſent, quod Florentinae pandectae confirmare uidentur, in quibus pro CNAEO ſcribitur aliquando Naeus cum eadem

F a diphtongo

diphtongo & γίγνεσθαι. Naeum autem antiqui praepoſito C, Cnaeum dicebant, atque per G, ſono pronuntiabant, ut tradit Diomedes ſic: N. praenominis nota Numerium ſignificat, & praepoſita ſibi G. Gnaeum, quem antiqui Cnaeum ſcribunt. Valerius quoque: Cnaei praenomen uaria ſcriptura notatum eſt: alij enim Cnaeum alii Gnaeum alii Naeum ſcripſerunt. Qui G littera in hoc praenomine uſi ſunt, antiquitatem ſequuti eſſe uidentur, quae multum ea littera uſa eſt. Olim enim dicebant frugmentũ poſt frumentum, olim gnaturam poſt naturam, itaque etiã qui in corporibus gigni ſolet Gnaeus appellatur, qui Cnaeum dixerunt; corruptione ſyllabae delectati eſſe uidentur, qui Naeum leuitate; A Cnaeo ſeu naeuo (ut antiquitus dicebatur) Naeuiorum gentis nomen deductum. Cnaeiorum quoque familia ab hoc praenomine oriri quidam exiſtimant, de qua Q. Cicero de Petitione conſulatus. Catilina ex equeſtri ordine Pompilios, & Cnaeios amiciſſimos ſibi cõparauit. Ea porro Domitiorum familia cui Ahenobarbi fuit cognomẽ, ex qua. Nero originem duxit, nulla alia praenomina praeter quã Cnaei, & Lucii uſurpauit, eaque ipſa notabili uarietate. Nam continuantes unum quodque per ternas perſonas, modo alternantes per ſingulas. Primum enim ſecundum ac tertium Ahenobarborũ Lucios, rurſus ſequentes tres ex ordine Cnaeos, reliquos non niſi uiciſſim tum Lucios, tum Cnaeos, ut auctor eſt in Nerone Suetonius Tranquillus

COSSVS. Coſſi ab antiquis dicebantur natura rugoſi corporis homines a ſimilitudine uermium, quos in ligno editos, Phryges & Pontici maris accolae pro delicatiſſimis cibis ſummunt. Plinius lib. XVII. Luxuria coſſos roborũ delicatiores adhibuere in cibo. Idem lib. XI. cap. III. nec Coſſi tantum in eo, ſed & Tabani ex eo naſcuntur. Coſſus antiquitus cognomen tantum Corneliorũ fuit, ut ex Faſtis Capitolinis, & Liuio obſeruatũ eſt. Quod quum procedente tẽpore fere exoleuiſſet, pro praenomine iterum, ut pleraque alia, de quibus ſuis locis dicam, ab eiuſdem gentis hominibus circa Auguſti tempora uſurpari coeptũ eſt, ut Coſſus Cornelius Lentulus cos. anno urbis DCCLIIII. & huius filius eodẽ praenomine ornatus cos. anno DCCLXXVIIII

DENTER. Dentricis Romilii praefecti vrbis ſub Romulo meminit libro V. Tacitus. Ex quo uno loco Dentricem praenomen fuiſſe mihi perſuaſi. Quod aliquot annis poſt in Liuiorum & Caeciliorum cognomen tranſiit, ut ex Liuio, & Faſtis conſularibus liquet

D. DECIMVS. Q. QVINCTVS. SEX. SEXTVS. De Decimo, Quincto, & Sexto, quae praenomina fuiſſe manifeſtum eſt, Varro lib. II. Annalogiae mentionem facit, qui praenomina haec ab ordine naſcendi orta fuiſſe refert, ita ut qui decimo, aũt ſexto, aut quincto loco natus eſſet, is demum Decimus, Sextus, & Quinctus diceretur. Ne autem quis circa hanc praenominum imponendorum rationem errandi occaſionem aſſumeret, eſt animaduerſione dignum non omnes Decimos, aut Quinctos, aũt Sextos eos dictos eſſe qui decimo, quinto, aut ſexto loco nati ſunt, itemque eos omnes Hoſtios appellatos, qui apud hoſtes peregre naſcerentur, ſicut nec Manios, qui mane, Lucios qui luce, & ſic deinceps; nam non ſolum hi qui ita nati, ſed alii plerique ita appellati ſunt multosque praeterea ita natos exiſtimandum eſt, neque tamen ſic uocitatos. Dicendum ergo eum qui primus hoc praenomine appellatus eſt, ea fortaſſe ratione dictum. Ceteros quod ab eo, aut alio eiuſdem praenominis originem ducerent, aut amicitiae, aut differentiae, aut eadem nonnunquam cauſſa, poſtea ſic nominatos. Miror tamen, cur non ſecundum etiam, tertium, quartumque dixerint, cum id praeſertim in feminis facere conſueuerint, ut tertiam, & quartam dicerent, de quibus infra. Decimi autem praenomen D. littera tantum apud aniquos notabatur, ut in Faſtis Capitolinis. D. IVNIVS D. F. D. N. BRVTVS. SAEVA. quam notam multi fuerunt qui Decium interpretati ſunt errore notiſſimo, nam omitto quod Decius nomen eſt plebeiae gentis, Graeci etiam codices, quoties in libris Latinis, aut alijs eiuſmodi antiquorum monumentis D. ſcriptum eſt, Decimum exponunt, ut Polybius, Diodorus, Dionyſius, Plutarchus, & Dio, qui quum praenomina integra ſcribere conſueuiſſent, in eorundem libris difficilius deprauari poterant, quam in Latinis, in quibus unica interdum, aliquando binis, uel ternis litteris ea notari ſolita erant

DRVSVS. Druſus ante cognomen Liuiorum fuit. Is enim Liuius qoi eo primum cognomine uſus eſt, hoſtium duce Drauſo cominus trucidato, ſibi poſteriſque ſuis cognomen inuenit. Sunt autem Drauſi Thraciae populi, de quibus Herodotus. Appellatus eſt autem Liuius Druſus. Poſtea cum Tiberius Neroque Claudij Liuiae filij, Auguſtique priuigni in Liuiorum gentẽ inſerti eſſent, Druſi cognomen Claudijs quoque communicatum eſt, appellatusque eſt Tiberij Caeſaris frater Nero Claudius Druſus, qui pater fuit Germanici Caeſaris, & Claudij Imperatoris. Praenominis poſtea munere fungi coepit in Druſo Tiberij Auguſti filio, Auguſti nepote, quem Druſum Iulium Caeſarem appellat Dio hoſtoriarum libro LVII. ita etiam appellatus eſt Druſus Caeſar Germanici Caeſaris filius, qui poſt patris mortem, cum Tiberio criminante hoſtis a ſenatu iudicatus eſſet, cum fratre Nerone occiſus eſt

EGERIVS, Egerius praenomen fuit in gente Tarquinia a Priſci regis fratris filio uſurpatum, qui quum poſt patris Aruntis mortem natus, teſtamento praeteritus ab auo Damarato

fuiſſet

fuiſſet ab egeſtate qua praemebatur Egerius Tarquinius uocatus eſt. Liuius libro I. Lucumo Damarati Corinthii filius erat, qui ob ſeditiones domo profugus, quum Tarquinios forte conſediſſet, uxore ibi ducta, duos filios genuit. Nomina iis Lucumo atque Aruns fuerunt. Lucumo ſuperfuit patri bonorum omnium heres, Aruns prior quam pater moritur uxore grauida relicta, nec diu manet ſuperſtes filio pater, qui quum ignorans nurum uentrem ferre, immemor in teſtando nepotis deceſſiſſet, puero poſt aui mortem in nullam ſortem bonorum nato, ab inopia Egerio inditum nomen

FAVSTVS. Fauſtus a fauore dicitur ut ſcribit Valerius, quod proſperum & felicem ſignificat, cui omnes fauent. Terentius in Andria: O fauſtũ, & felicem hunc diem. Nonius autem Marcellus: Fauſtum quaſi a fauendo dictum, ac per hoc proſperum & propitium, unde contra infauſtum, minax ac improſperum. Hoc autem utrum praenominis an cognominis munere in Fauſto Sulla, Sullae Felicis dictatoris filio functum ſit, incertum; pluribus tamen rationibus cognomen crediderim. Nam ferunt id eo tempore filio Cornelio impoſuiſſe, quo ipſe Felix appellatus eſt, caruiſſet ergo per tot annos praenomine Sulla iunior, cum longe ante natus eſſet; quam pater Felix appellaretur, quare eum L. Cornelium Sullam Fauſtum uocatum fuiſſe exiſtimo. Pedianus pro M. Scauro; Fauſtus Sulla, tum quaeſtor filius Syllae Felicis. Item in Miloniana: Adfuerunt Miloni Fauſtus Sulla &c. fuit & Fauſta Sullae dictatoris filia Milonis vxor, & alius L. Cornelius Sulla Fauſtus ſub Claudio principe conſul; quem Fauſtum cognominis loco uſurpaſſe apparet nõ praenominis. Praenomẽ uero eſſe in hoc uetuſto epigrãmate Interamnati liquet

PROVIDENTIA . TI . CAESARIS . AVGVSTI . NATI . AD
AETERNITATEM . NOMINIS . ROMANI . SVBLATO
HOSTE . PERNITIOSISSIMO . P . R . FAVSTVS . TITIVS
LIBERALIS . VI . VIR . ITER . P . S . F . C

HOSTIVS. Hoſtius ut inquit Valerius, fuit praenomen eius, qui peregre apud hoſpitem natus eſſet, hoſtem enim appellatum fuiſſe apud veteres quemcunque peregrinum, hoſtes uero perduelles dictos Cicero in officiis, Macrobiusque auctores ſunt. Si cum hoſte (inquit Cicero) condictus ſit dies &c. Fuit autem Hoſtius Lucretii Tricipitini praenomen, qui cum L. Sergio Fidenate anno vrbis CCCXXVI. cos. fuit. Mendoſe autem in Valerio hoſpes pro Hoſtio legitur. Macrobius autem libro Saturnalium primo cap. IIII. eum Hoſtium uocatum fuiſſe ſcribit, qui primus in hoſtico ideſt in agro hoſtili procreatus eſſet. Hunc praenomen a tribus tantum uſurpatum fuiſſe reperi, a patre auoque Tulli Hoſtilii Regis, & ab Hoſtio Lucretio Tricipitino cos. quod omnibus litteris in tabulis Capitolinis exaratum eſt

IVLVS. Iulus antiquitus cognomen Iuliorum fuit, cum ante Aſcanii Aeneae filij fuiſſet, a quo Iulla gens orta eſt, qui ideo Iulus dictus eſt, auctore Seruio, quod adhuc adoleſcens cum primam lanuginem cepiſſet emittere, Etruſcorum regem Mezentium ſingulari certamine ſuperauit, unde Virgilius. At puer Aſcanius cui nunc cognomen Iulo

Sunt enim proprie iuli tenerae ille lanugines, quae in arboribus flores antecedunt, ut in ficu groſſuli. Plinius lib. XVI. cap. XXIX. Ferunt & auellanae iulos compactili callo ad nihil utiles. Vnde per metaphoram dicuntur iuli tenerae illae lanugines, quae in iuuenum genis primae enaſcuntur. Hoc cognomen cum a gente Iulia intermiſſum eſſet, M. Antonins III. vir, iterũ in uſum reuocauit, & in honorem C. Iulij Caeſaris dictatoris a Iulo oriundi, altero filiorum ſuorum praenomen dedit, Iulumq; Antoniũ vocauit, qui poſtea ſub Auguſto cos. fuit, anno vrbis DCCXLV. A Iulo cognomine Iulia gens appellata eſt inter Romanas clariſſima

LAR. Lartis praenomen (inquit Valerius) a Laribus ſumptum eſt. Creditumque ante Tuſcum praenomen id eſſe, fuitque conſularis Herminij, qui anno vrbis CCCVI. cum T. Virginio cos. fuit, praenomen. Idem etiam refert Dionyſius libro IX. & Diodorus: Cariſius antẽ grãmaticus, & Priſcianus idem fere tradũt. Lar ſi familiaris deus erit, Genitiuo facit laris, ſi Tolumnii, aut Porſennae, qui reges Etruſcorũ fuerũt facit Lartis. Seruius quoq; lib. ſexto Aeneidos: Lar Tolumnius a Coſſo occiſus, a loco dictus eſt, flectitur autem Lar Lartis. Et Liuius libro IIII. Daturos quod Lar Tolumnius dediſſet. & Cicero Philippica IX. Lar Tolumnius Veientium rex. A Larte praenomine, quo Romae unom Herminiorum tantum uſum fuiſſe reperi, Lartiorum familia deuenit, ſatis antiqua & nobilis, ex qua primus Romae dictator factus eſt. T. Lartius

L. LVCIVS. Lucii prenominis duplicem tradit Valerius originẽ, aut enim a Lucumonibus Etruſcis dictum eſt, perinde ac pleraque alia, ut Luceres equites, & tribus Lucerũ, & L. Tarquinius Priſcus, qui cum prius Lucumo praenomine Etruſco uteretur, Romam ueniens id in Lucium Liuio, & Dionyſio auctoribus, uertit; aut poſtremo a luce, quod iccirco illi, qui primo hoc praenomine fuit appellatus, impoſitum creditur, quod prima luce oriente natus eſſet. Hoc idem libro quinto de lingua Latina. M. Varro, & Sex. Pompeius libro decimo ſcribunt

A Lucio Lucipor ſeruile nomen, ut a Marco Marcipor, & Publio Publipor oritur, de quo paulo poſt. Lucium praenomen a Claudijs fuiſſe repudiatum docet Suetonius in Tiberio: Cũ praenominibus (inquit) cognominibusque uariis diſtingueretur, Lucii praenomen conſenſu repudiauit, poſteaquam e duobus gentiliciis eo praeditis, alter latrocinii, caedis alter conuictus eſt. Cõtra uero Domitiis Ahenobarbis Imperatoris Neronis maioribus Lucii ac Cnaei praenomina tã tum fuiſſe probata ſcribit idem Tranquillius, ut non aliis praenominibus unquam Ahenobarbos uſos fuiſſe conſtet ut, ſupra demoſtraui

MAM. MAMERCVS. Mamercus praenomen Aimiliae gentis fuit, a Mamerte auctore Sex. Pompeio, ideſt Marte dictum, Oſca enim lingua Mars Mamers dicitur, vnde Mamertini qui Meſſanam incolunt vrbem Siciliae. Hoc autem paene extinctum & in cognomen mutatum e tenebris uetuſtatis antiquorum marmorum auxilio renouatum eſt, de quo Plutarchus in Numae & Paulli Aimilii uitis. Alii uero (inquit) dicunt cum quattuor Numa filios habuiſſet, Mamercum unum ex Pythagorae filio appellauiſſe; ab illoque Aimiliorum familiam patriciam fuiſſe, cum Mamercus ille propter ſermonis lepiditatem & facundiam, ciuilemque humanitatem, quam Aimiliam Graeci uocant, Aimilius appellatus ſit. Idem refert libro primo Sex. Pompeius. Hoc autem nomen exprimentes Romani Lepidi cognomen Aimiliis addidere. Sex. autẽ Pompeius, lib. XI. Mamercus praenomen eſt inquit Oſcum. A Marte dictum, ab eo quod Oſci Martem Mamertem uocitent, qui a Romanis detractione unius ſyllabae Mars, & a poetis per epentheſim Mauors appellatur. A Mamerco oritur cognomen Mamercinus, quo etiam tantum uſa eſt Aimilia familia. Notatur autem in Faſtis tribus his litteris ita MAM

M'. MANIVS. Manij praenominis multiplex origo traditur, Sex: enim Pompeius libro XI. Valerius libro X. Macrobius primo Saturnalium, & M. Varro ſecundo Anologiae: Manium a mane dictum putant, quod qui hoc praenomine primus uſus eſt, mane natus ſit, quemadmodum Lucii dicti ſunt, qui prima luce oriebantur. Alii boni ominis cauſſa dictum arbitrantur, quaſi bonum, manum enim antiqui bonum dicebant, ut iidem auctores ſunt. Alibi etiam Sex. Pompeius ita ait: Manius agrum Nemorenſem Dianae conſecrauit, a quo multi & clari uiri conſecrati ſunt, unde prouerbium, multi Manii Ariciae, Nemorenſis enim ager in Arcinio eſt. Zoſimus hiſtoriarum libro II. non a mane, ſed a manibus diis ortum id tradit, eoque primum uocatum fuiſſe Manium Valerium Voluſi filium, quod ab aegritudine a diis manibus liberatus eſſet. Sunt etiam qui putent Manios ſenes appellari, aut terrae filios, ut Iuuenalis & Martialis tradũt. A Manio Manilii & Manlii inde etiam Mallii nobiles apud Romanos gentes fluxere. Hoc etiam praenomen ut pleraque alia praenomina obſoluerat, atque in Marcum paſſim ſeſe transformauerat; Manium enim M'. ſic notari conſueuiſſe ueteres, uirgula ad M latere ſurſum eminente, ut a Marco quod M. tantum notatur diſtingui poſſet, auctor eſt P. Conſentius, qui ita ait: M. littera & linea ſuperimpoſita Manius dicit, figuram inde ortam puto M'. ut perinde haberetur ac ſi MAN. ſcriberetur, quae omnia cum ipſe diligentius conſideraſſem, accuratius in Aciliis, Aquiliis, Aimiliis, et Sergiis, ceteriſque eiuſmodi egi, ut germanis ſuis praenominibus honeſtarentur, qui cum in lapidibus hac nota M'. inciſi eſſent, apud ueteres ſcriptores, & praeſertim Graecos aut Manii, aut Malii, uel Manlii ſiue Manilii finitimo ſatis errore appellabantur, marmorum igitur auxilio, & P. Conſentii auctoritate, cum antiqua nota, tum uetus praenomen, quae iam euanuerant, linguae Latinae reſtituta ſunt

M. MARCVS. Marcus ille primo appellatus eſt, ut tradit Valerius, qui menſe Marcio natus eſt, a quo Marciorum gens Marcelli, Marcianique cognomina oriuntur. De eo M. Varro lib. II. Annologiae mentionem facit, & Plutarchus in problematibus. Hoc praenomine patriciis, Manliis uti ex S.C. interdictum eſt, quod Manlius Capitolinus, qui affectati regni crimine damnatus erat, eo praenomine ornatus eſſet, ut auctores ſunt, Cicero, Liuius, & Sex. Pompeius. Ita etiam poſt Antonii III. uiri mortem iterum decretum eſt, M. Tullio M. filio Cicerone cos. legem ferente, ut tradit Appianus, ne quis gentis Antoniae Marci praenomen haberet, ut auctores ſunt Plutarchus in Antonio, & idem Appianus bellorum ciuilium lib. quarto

NERO, Nero antiquum Claudiorum patriciorum cognomen fuit, de quo Suetonius in Tiberio: inter cognomina autẽ (loquens de Claudia familia patricia) & Neronis aſſumpſit, quod ſignificatur lingua Sabina fortis ac ſtrenuus. Gellius quoque libro XII. cap. XXI. Nero (inquit) uerbum Sabinum eſt, quo ſignificatur uirtus & fortitudo. Itaque ex Claudiis, quos a Sabinis oriundos conſtat, qui erat egregia & preſtanti fortitudine Nero appellatus eſt. Sabini autem id nomen a Graecis accepiſſe uidentur, qui vincula, & firma ligamenta membrorum νεῦρα dicunt, Latini neruos appellãt. Hoc ut pleraq; poſterioribus reipublicae temporibus in praenomẽ, eiuſdem etiam gentis tranſiit, eoque nominatus eſt Tiberii Caeſaris frater Nero Claudius Druſus Claudii Imperatoris, & Germanici Caeſaris pater. Item L. Domitius Ahenobarbus, qui a Clau-

dio

dio principe adoptatus, Nero Claudius Caeſar uocitatus eſt, qui eo mortuo Romanus princeps factus, omnium quos terra tulit ſaeuiſſimus fuit

N. NVMERIVS De Numerio, cum Pompeius & Valerius eodem ferè modo ſcripſerint, ut quid optimi auctores ſenſerint intelligi poſſit, vtriuſq; uerba ſubiiciam. Sex. Pompeius quidem libro XII. Numerius praenomen nunquam antea fuiſſe in patricia familia dicitur, quam Is Fabius, qui unus poſt ſex & trecentos ad Cremeram fluuium ab Etruſcis interfectos ſuperfuit, inductus magnitudine diuitiarum uxorem duxit N. Otacilii Maleuentani, (ut tum dicebatur) filiā, ea conditione, ut qui prior natus eſſet praenomine aui materni Numerius appellaretur. Valerius autem libro X. Numerii praenomine, ſola familia patricia uſa eſt Fabia, iccirco quod CCC. ſex, apud Cremeram flumen, a Veientibus caeſis, qui unus ex ea ſtirpe extiterat, ducta in matrimonium vxore filia Numerii Otacilii Maleuentani, ſub eo pacto, ut quem filium ſubſtuliſſet, ei Numerii praenomen imponeret, obtemperauit. His uerbis colligio, primum Numeriū praenomen eſſe, a numero credo dictum, deinde genti Fabiae ex patriciis tantum proprium fuiſſe, eoque primum patriciorum uſum N. Fabium, ſiquidem promiſcuum antea plebeiis familiis eſſe potuit; ut eſt in marmoribus Capitolinis. L. SEXTIVS. SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERAN. Numerii enim nepos interpretor, eadem nota etiam eſt in lapide antiquo, ita exarata N. IVNIO. EPIGONO. CHRESTVS. LIB. PATRONO. B. M. DE. SE. ideſt Numerio Iunio &c; ut paulo poſt oſtendam. Item apud Ciceronem in orat. pro Cluuentio. Dinca ſocerus Oppiniaci, quae filios habuit M. & Numerium Aurios, & lib. iii. de Oratore: At Numerius Furius noſter familiaris, & lib. II. de diuinatione: Numerus Suſtucius. Item Pedianus: Numerius Quinctiûs. De Numerii praenomine M. Varro lib. ſecundo Analogiae: Metellus Metella, Ennius Ennia; ſed Marcus, & Numerius, non Marca, aut Numeria. Numerium autem praenomē N. nota ſcribi antiquos conſueuiſſe, hiſce rationibus demonſtrari poteſt: Ante omnia certum eſt, ex his quae citaui teſtimoniis, Numerium praenomen eſſe, praeſertimque Fabiorum, nullûq; aliud praenomen fuiſſe, quod a littera N. inciperet praeter Neronem, quod & integrum ſcribitur, & Fabiorum nunquam fuit, & non ante Auguſti tempora uſurpari ceptum eſt; quae cum ita ſint, quis negabit unquam, cum N. Fabium Pictorem, ſiue N. Fabium Vibulanum ſcriptum inueniemus, eam praenominis notam N. pro Numerio uſurpari nō debere: dicique Numerius Fabius Vibulanus, vel Pictor, & ita in aliis? deinde quum hoc proprium gentis Fabiae praenomen fuiſſe iidem auctores referant, eoque primum Fabiorum appellatum fuiſſe conſtat, qui eius Q. Fabii filius fuit, qui trecentis ſex Fabiis interfectis caede Cremerenſi ſuperfuerat, atque in tabulis Capitolinis anno CCCXLVI. N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus idem deſcriptus ſit, nihil dubitandum duxi, quin & ille Numerius, & ceteri Fabiorum, aliarumque gentium qui N. praepoſitam haberet, Numerii intelligerentur, quod etiam libro IIII. cap. III. Valerius ipſe Maximus confirmat, nam qui in marmoribus ſcribitur N. Fabius Pictor, ab eo etiam Numerius Fabius Pictor ibidem appellatur. Haec itaque nota ubicunque pro praenomine inuenitur, ſemper Numerius debere interpretari manifeſtum eſt. Hoc idem poſtremo Diomedes lib II. & libro primo, P. Conſentius optimi ſimulque antiqui Grāmatici docent. Diomedes enim de A. C. CN. D. L. M. P. Q. T. praenominibus ſcribens, N. notam Numerium ſignificare aperte refert. P. autem Conſentius de CN. wP. SER. SEX. SP. que praenominibus uerba faciens, N. quoque notae, quam Numerium interpretatur, meminit. Haec autem in omnibus paene Latinis libris ob vetuſtatem quum exoleuiſſet, & in CN. M. & C. euaſiſſet, cum multis aliis, lapidum antiquorum, optimorumque auctorum auxilio renouata, ac reſtituta eſt

NVMA. De Numa parum plane quod dicam habeo, quum nihil de eo a ueteribus, quod ſciam traditum ſit. Id autem praenomen Sabinum, & a ſecundo Romanorum rege Pompilio, item Numa Marcio pontifice maximo primo tantum uſurpatum fuiſſe, ſatis manifeſtum eſt. A Numa, Numius, & Numonius gentium nomina oriuntur

OPITER. Opiter autem appellatus eſt ille, teſte Valerio, qui patre mortuo, auo uiuo, genitus eſt. Et Sex. Pompeius lib. XIII. Opiter (inquit) eſt cuius pater auo uiuo mortuus eſt, ducto uocabulo, aut quod poſt obitum patris genitus ſit, aut quod auum ob patrem habeat, ideſt pro patre. Hoc praenomen Virginiorum proprium fuit, non admodum in uſu, Quod auctore Probo duabus notis ſic OP. ſcribebatur

PAVLL. PAVLLVS. Paullus, quod Latina lingua modicus interpretatur, Graeca uero quietus, quod graeci παυλα quietem dicant, cum priſcis temporibus Aemiliae gentis cognomen fuiſſet, nominum ſerie cum rep. labante, circa Auguſti tempora uel paulo ante, in eiuſdem etiam gentis praenomen ſeſe conuertit, quo appellatus eſt Lepidi III. viri frater Paullus Aemilius Lepidus, & alii plures eiuſdem gentis poſt ipſum. A Paullo fit aliud diminutione cognomen Paullulus, quod quidam Poſtumiorum uſurparunt. Id autem duplici L. ſcribi debere

praeter noſtratium codicum moré,qui id mendoſe unico L deſcribunt, omnia antiqua lapidum & librorum monumenta teſtantur

POSTVM.POSTVMVS. Poſtumum eum uocitatum exiſtimat Plutarchus in Coriolano & Sulla, cui poſt patris mortem naſci contigit: a poſt & humus compoſitum, quaſi poſt humatum patrem natus. Ego uero quum antiquorum ſcribendi rationem animaduertiſſem, qui Poſtumium, ſiue Poſtumum abſque media aſpiratione H. ſcribere conſueuerant, non ab humato patre, ſed a poſtea deduci poſtumum exiſtimaui, quaſi poſteaquam pater mortuus eſt, natus. Eſt autem haec deriuatio. Poſtea poſtimus poſtimius, ut maior maximus; deinde antiquorum more I in V uerſa Poſtumus, Poſtumius, ut etiam Maxumus aliquando ſcriptum inuenitur. Quidam Poſtumium ſiue Poſtumum Plutarchi ſententiam ſequuti ab humo dictum putat, quia antiqui umum ſine haſpiratione ſcriberent, inde Poſtumus. Praenomen autem hoc noſtro tempore, omnes fere codices depravatum habent, in quibus Poſtumius pro Poſtumo ſcriptum eſt, quum Poſtumius nomen familiae ſit a Poſtumo praenomine. Hoc praenomine ſpeciatim Cominiorum & Aebutiorum gentes uſae ſunt, Poſtumi enim Cominius, & Aebutius conſules in Faſtis memorantur, Hoc ut multa alia longo tempore poſt, circa Auguſti ſaecula in cognomen tranſiit, a Vibia, & Rabiria gente tantum (quod ſciam) uſurpatum. In lapide enim antiquo C. Vibius Poſtumus cos. cum C. Ateio Capitone ſub Auguſto exaratus eſt. Extat quoq; M. Ciceronis pro C. Rabirio Poſtumo oratio. De hoc praenomine Plautus in Aulularia. Hanc rem ex parte tangit Valerius lib. X. Quae olim (inquit) praenomina fuerant, nunc cognomina ſunt, ut Poſtumus, Agrippa, & Proculus

POTITVS. Potitus olim Valeriorum cognomen fuit. A potior uerbo ut exiſtimo dictum, quod qui eo primum uſus eſt, re quam exoptabat potitus ſit, vel a potis dictum, quod potens is fuerint in eadem re obtinenda. Quidam potum ueteres puerum uocaſſe ſcribunt, inde potitus; ſed & potiti hoſtium dicebantur captiui, auctoribus Plinio, & Iure conſultis. Hoc autem in eiuſdem gentis praenomen etiam ſub Auguſto tranſiit, eoque, ut auctor eſt Dio hiſtoriarum lib. XLIX. Valerius quidam Meſſalla uſus eſt uir cōſularia, Potitus Valerius Maſſalla appellatus

PROCVLVS. Proculum Plutarchus in Coriolano, & Sex. Pompeius lib. XIIII. eum ſcribit dictum, qui patre foris peregrinante, a patria procul natus eſt, uel qui patre ſene quaſi procul aetate progreſſo, eſt editus. Hoc cum priſco tempore, Virginiorum & Geganiorum praenomen fuiſſet, poſtea cognomen Plautiorum fuit. A Proculo Proculeii, & Procilii oriuntur. Valerius lib. X. Quae olim praenomina fuerant, nunc cognomia ſunt, ut *Poſtumus*, Agrippa, & Proculus

P.PVBLIVS. De Publio non idem cum Valerio ſentit Pompeius, ille enim Publios eos appellatos putat, qui prius pupilli fuerunt, quam praenomina haberent: Pompeius uero, eius, qui populo gratus fuit Publium praenomen eſſe exiſtimat, alii omnis cauſſa ex pube tractum uolunt. Ab hoc praenomine Publiliorum gens manauit

Q.QVINCTVS. Quincti praenomen ab ordine naſcendi dictum eſſe ſupra demoſtraui, a quo Quinctiorum & Quinctiliorum familiae antiquae & nobiles ortae traduntur

ROMVLVS.& REMVS. Romulum Remumq; praenomina fuiſſe ſupra demoſtraui, ab ubere ſiue mā̄ma deducta, quia antiqui rumam mammam appellabant, quod uterque eorum inuĕrus ſit ſub lupa, eis praebente rumen hoc eſt mammam, de hac re uide latius ſupra in Romulo

SEX.SEXTVS. A Sexto quoque praenomine, ab ordine naſcendi accepto, Sextios, & Sextilios deductos fuiſſe ipſorum etymon declarat

SER.SERVIVS. Seruij praenomine eum appellatum fuiſſe ſcribit Valerius, qui mortua matre in utero ſeruatus eſſet; alii ipſum a ſeruo deriuari dicunt, quod qui primus id praenomen habuit, in ſeruitute genitus ſit, ut de Ser. Tullio rege Dionyſius, ac Liuius tradiderunt. Ab eo fit Seruiliorum gentilicium nomen; de eo Plutarchus in problematibus

SERTOR. De Sertore uero uarie ueteres ſcriptores tradiderunt. Sex. Pompeius lib. XVII Sertorem (inquit) quidam putant dictum a prendendo; quia cum cupiam adſerat manum, educendi eius gratia ex ſeruitute in liberatem, uocetur adſertor, cum uériſimilius ſit dictum, quod ſereret quid, ac potius adſertorem a ſerendo accepiſſe nomen, cum aliquem ſerat, petendo in libertatem eandem, qua ipſe ſit, ideſt iungat, quia fruges cum feruntur, terrae iungit. Valerius autem libro X. Sertorem eum uocatum fuiſſe ſcribit, qui per ſationem natus eſt. Hoc praenomen Aequicolarum fuiſſe olim, eoque appellatum eſſe, Sertorem Reſium, qui primus ius fetiale inſtituit, refert idem Valerius. A Sertore fiunt Sertorii, inter quos rei militaris peritiſſimus fuit C. Sertorius Marianarum partium dux: de quo plura in eius uita Plutarchus. Hoc praenomine raro admodum antiqui uſi ſunt, & praeſertim patricii

SP.SPVRIVS. Spurius, ut ſcribit Valerius, dictus eſt is qui patre incerto eſt genitus a

σπείρειν hoc eſt ſeminare, quia nihil haberet a patre niſi ſemen. Iureconſultus uero Modeſtinus eos Spurios dici affirmat, quos & uulgo cóceptos appellamus, eos qui incerto patre nati ſunt, uel qui cum habeant patrem quem habere non liceat. Alij dicunt praenomen Sabinum eſſe ab uxoris pudendis dictum, quae ſpurion apud eos appellari ſolere ſcribunt, ideoque is qui legitime natus non erat, ſeu ex concubitu, aut ſcorto, Spurius contumeliae cauſſa ab eis appellabatur, unde Spurios dicimus, quaſi adulterinos, ſuppoſititios, uel irreptitios, uel incerti auctoris. & Auſonius

Quique notas ſpurijs uerſibus appoſuit

Plutarchus autem in quaeſtionibus: Spurius, inquit, primum nomen eſt apud Romanos, ut Sextus, Decimus, & Caius, quod ſic ſcribebatur SP. ideſt ſine patre, antiqui enim parentibus orbatos hac ratione ſignificabant a quibus errore factum eſt poſtea, ut qui incerto patre geniti eſſent SP. hoc eſt ſpurij dicerentur, unde nobis id praenomen ortum eſt. A Spurio uenit nomen Spurilius.

ST. STATIVS. Statius ut tradit libro IIII. cap. XX. Gellius ſeruile praenomen fuit, quod a ſtabilitate dictum tradit Valerius. Fuitque praenomen Caecilij Comici, qui quum ſeruus fuiſſet, Statius Caecilius appellatus eſt. A quo Statiliũ nomẽ fluxit; eius in antiquo epgrãmate mẽtionem extare uidi Romae apud Gẽtilem Delphinium cuius exemplum; modo ad manus nõ eſt

TI. TIBERIVS. Tiberij, inquit Valerius, uocari coeperunt, qui ad Tiberim naſcebantur, quod praenomen duabus litteris ita Ti. apud antiquos ſcribi ſolitum, ut a Tito internoſci poſſet, quod T. tantum notabatur, & Probus tradit, & antiqua epigrammata teſtantur, in quibus quoties Ti. inuenitur, ſemper Tiberius in Graecis libris, & plerumque etiam in Latinis eſt ſcriptus, ut in Claudijs patricijs, Sempronijs, Aemilijs, Coruncanijs, Cornelijs, Minucijs, & Veturijs, quarum gentium fuit maxime proprius. Id autem temporis iniuria praenomen fere eſſe deſierat. Quod certe neglectum non fuiſſet, ſi Plutarchi uerbis in quaeſtionibus attendiſſent, a quo inter ea praenomina quae duabus litteris notantur, refertur. Qui ita ait: Cur autem T. Titum Ti. uero Tiberium ſignificet? An quia ut hoc nomen plures litteras habet, ita & nota? Item quaedam ex praenominibus binis litteris notata ſunt, ut Tiberius

T. TITVS. De Titi praenomine quod Sabinum fuiſſe T. Tatius teſtimonio eſt, ueteres auctores inter ſe diſſentiunt. Valerius enim a Sabino quodam nomine Tito ortum ait, Feſtus uero a titulo manaſſe ſcribit. Titulos autem milites fuiſſe quaſi tutulos, quod patriam tuerentur tradit. Eius meminit Plutarchus in quaeſtionibus

TVLLVS. Tullus (inquit Valerius) ominis cauſſa dictus eſt, quaſi tollendus, O littera in V. conuerſa. Hoc praenomine uſus eſt Romanus rex Hoſtilius, & Tullus Coelius legatus Romanus Veijs interfectus. Ab eo Tullium nomen fluxiſſe opinor. Quod praenomen poſterioribus temporibus, Volcatiorum cognomen fuit. L. enim Volcatij Tulli tempore Ciceronis conſulis mentio in Faſtis eſt

VIBVS. De Vibo, quod praenomen Seſtiorum fuiſſe in tabulis Capitolinis notatum eſt, ubi legitur P. SESTIVS. Q. F. VIBI. N. CAPITOLINVS nihil habeo quod ex ueterum monumentis tradam, niſi a uibice deriuetur, quod eſt ſignum uerberis in humano corpore remanentis, ita dictum ut tradit Feſtus, quod ui fiat. Liuius libro XXIIII. Vibi Virij Capuani mentionem facit. A quo Vibiorum familia nobilis Romae manauit.

VOLERO. Volero in praenomen abijt, quia nolentibus naſci liberis parentibus uidebatur, quo praenomine uſus eſt Publilius Philo. Ita Valerius. De quo Liuius libro III. & Dionyſius libro XI. Quare anno CCCLIII. in tabulis Capitolinis notatus eſt ita L. PVBLILIVS. L. F. VOLER. N. PHILO. VVLSCVS

VOLVSVS. Voluſus praenomen Sabinum fuit, quo vſus eſt pater P. Valerij Poplicolae Verrio Flacco, Liuio, & uetuſtis epigrammatibus auctoribus. Hoc etiam Voleſus dicebatur ut in antiquo lapide P. VALERIVS. VOLESI. F. POPLICOLA

VOPISCVS. Vopiſcum autem eum dici Plutarchus in Coriolano, Valerius libro X. Feſtus, Nonius Marcellus, & Plinius libro VII. cap. IV. ſcribunt, alterum eorum qui ex duobus conceptis, uno aborſu interempto ad partum legitimum deducitur. Quo praenomine praecipue Iulia gens uſa eſt, quod poſtea in cognomen tranſijt: apud Tacitum enim ſaepe mentio eſt Pompeij Vopiſci uiri conſularis, & in Faſtis L. Manlij Vopiſci

Praenominibus Romanis poſtremo MAMVRIVM adiũgere uolui eius Veturij praenomen, qui ſub Numa rege XI. ancylia fabricauit. Is enim Mamurius Veturius appellatur. Quod praenomen ab ullo preterea alio uſurpatum fuiſſe nũquam inueni

De alijs quibuſdam praenominibus

Haec uero ſunt praenomina omnia tam Romana, quam peregrina quae Romae uſurpata fuiſſe compererim. Inter peregrina etiam praenomina hæc praecipue enumerantur METIVS, quod

prae

praenomen Albanum ut in Metio Sufetio, & Sabinum ut in Metio Curtio, & Metio Octauio, de quibus Liuius. Item POMPO. Sabinum praenomen eſt, quo uſus eſt regis Numae pater, ut Dionyſius & Liuius tradunt. Itaque etiam Numa filium habuit nomine Pomponem auctorem gentis Pomponiae, ut tradit Plutarchus. TALLVS. praenomẽ etiam Sabinum fuit, de quo Feſtus mentionem facit. Et Dionyſius cum T. Tatio rege Sabino Romae quoque domicilium locaſſe ait Tallum Turanium. TVRNVS. poſtremo praenomen Latinum fuit, ut in Turno Herdonio Aricino inſidijs Tarquinij Superbi occiſo, de quo libro I. Liuius. Haec autem ſunt praenomina omnia quae ego unquam extare didicerim. Nam quod Siſenna Statiliorum praenomen eſſe apud Tacitum uidetur, qui Siſennam Statilium Taurum commemorat, Dio aperte id cognomen fuiſſe refert, qui eundem T. Statilium Siſennam Taurum uocat. Item ãno urbis CDXXXIIX in tabulis Capitolinis ita exaratum eſt Q. AVLIVS. Q. F. AI. N. CERRETANVS. quam praenominis notam, ſi error fabrilis tamen non ſit, me interpretari omnino neſcire fateor: a paucis hactenus animaduerſa eſt, a nullo uero adhuc quod ſciam interpretata. Forte Auli praenomen ea ſignificatur binis litteris prima & nouiſſima, nam quod praeterea afferam non habeo. Haec autem praenominum ratio, ſtante maxime rep. conſeruata eſt, nam eum reip. caſu, antiquus etiam & religioſus hic praenominum ordo labefactatus eſt. Multa enim quae ante nomina fuerãt pro praenominibus, multa quae cognomina pro nominibus uſurpata ſunt. Quod etiam explicauit Priſcianus quum ait: Inuenimus autem multa quae in alijs perſonis ſunt praenomina, haec in alijs loco nominum accipi, ſimiliter & in loco cognominum aliorum agnomina uel nomina, uel contra. Nomina autem quae recentioribus temporibus pro praenominibus uſurpata ſunt, fuerunt ut ex antiquis monumentis obſeruaui. AVR. AVRELIVS. CL. CLAVDIVS. FL. FLAVIVS. IVL. IVLIVS. MEM. MEMMIVS. VAL. VALERIVS. Vt Aurelius Prudẽtius Clemens, CL. Iulius Aedeſius Dynamius, Fl. Valerius Conſtantinus, Iul. Felix Cãpanianus, Mem. Vitraſius Orfitus, Val. Iulius Maiorianus. Haec uero non niſi poſt Diocletiani tempora factitata ſunt.

De praenominum imponendorum ratione

His omnibus expoſitis, nunc ad rem maxime pertinet, ut de praenominum imponendorum ratione, quae ueteres ſcripſerint exponam. Ac primum de tempore poſt de reliquis agam. Valerius in primis, pueris non priuſquã togam uirilem ſumerent, puellis uero non antequam nuberent praenomina imponi moris fuiſſe ſcribit, eiusque rei grauiſſimum auctorem citat Q. *Scaeuulam* pont. max. Plutarchus uero in problematibus maribus quidem nono, feminis uero octauo die, nomina ueteres dare conſueuiſſe tradit. Macrobius quoque luſtricos dies illos a Romanis dictos refert, quibus nomina infantibus imponerentur, nam & Nundinam deam Romani colebant, a die nono appellatam, quo infantes luſtrabant, ijsque nomina imponebant, quam quam octauo die feminis, maribus autem nono id fieri conſueuerit. Sex. Pompeius: Luſtrici (inquit) dies infantium appellantur, puellarum octauus, puerorum nonus, quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur. Quum autem quattuor hi ſcriptores nobiles quidem & grauiſſimi ſint, atque ita inter ſe diſſentiant, ut quam ex his ſequar ſententiam facile ſtatuere non poſſim, dicam ego quae ſentiam probabilibus magis quam neceſſarijs rationibus adductus. Pueros ego crederem & puellas praenominibus quidem caruiſſe, puerosque familiae nomina, & cognomina uſurpaſſe, ut Iulios Caeſares, & Tullios Cicerones; puellas uero tantum nomina gentilicia ut Iuliam, Tulliam, & Fabiam. Maximam enim mulierum partem non ſolum ante nuptias, ſed poſtquam nupſiſſent etiam praenominibus caruiſſe conſtat. Quod enim Valerius de praenominum imponendorum ratione refert, manifeſtum erit Ciceronis epiſtolas percurrenti, ubi ante uirilem togam, ſemper Cicerones pueri dicuntur, poſtea Marcus filius, Quinctus filius. Vnde ipſe Cicero in ep. fam. Habuit (inquit) praenomen neſcio quid uirilitatis, & dignitatis. Idem Damarco: Quod ſine praenomine familiariter ut debebas. &cet. Et Iuuenalis: Gaudent praenomine molles: Auriculae. Qua ratione fiet ut Valerius a Plutarcho, Macrobio, & Feſto non diſſentiet, qui luſtrico die maribus quidem nono, puellis uero octauo nomina ueteres imponere conſueuiſſe tradunt. Quum Valerius de praenomine, hi de nomine & cognomine intelligant. Quod ſi haec non ita ſatisfacient, dici poterit, alio atque alio tempore diuerſimode obſeruatum. Quum enim Valerius ex Scaeuula, pueris non priuſquam uirilem togam ſumerent, puellis non antequã nuberent praenomina imponi moris fuiſſe ſcribit, quo tempore id fieri ſolitum fuerit non exprimit. De ratione autem praenomina imponendi illud ſatis manifeſtum eſt, ſuis quemq; filijs ea praenomina maxime indidiſſe, quae eſſent ſuae cuiusque familiae maxime propria, nam non omnia omnibus familijs praenomina fuiſſe communia, ſed alia alijs peculiaria, alia reiecta ſupra demonſtraui. Primum autem filiorum patris praenomen plerũque habuiſſe, ſequentes uero ſi plures filij eſſent uel aui, uel patruorum, uel familiae propria praenomina tu-

liſſe

iiſſe ſatis conſtat. Eiuſmodi rationem, in adoptiuis filijs, libertis, & nouis ciuibus ſeruatam fuiſſe obſeruaui; ut is qui ab aliquo uel adoptatus, uel manumiſſus, aut eius beneficio ciuitatem conſequutus eſſet, eius praenomen, nomenque uſurparet. Non omnia autem omnibus familijs praenomina fuiſſe communia, ſed alia alijs fuiſſe familiaria, teſtimonio eſſe poſſunt; Numerius, quod nullam genté patriciam uſurpaſſe praeter Fabiam conſtat; Item Appius, quod in nulla prae terquã Claudia gente patricia frequentatũ inuenitur. Marco ne quis in gente Manlia & Antonia uteretur decretum eſt, Lucium a Claudijs repudiatum, Cnaeum & Lucium a Domitijs Ahenobarbis tantum fuiſſe probatos, item Marcum & Manium a Valerijs Meſſallis ex omnibus hiſto rijs patet. Potiſſima igitur eorum qui eiuſdem gentis uel familiae eſſent diſtinctio reip. tempore praenominum erat, ſed quum ſaepiſſime uſuueniſſet ut pater & filius uiuentes ambo idem praenomen haberent, alia quaedam diſtinguendi ratio fuit, patre, & filio; maiore, minore; ſene, ado leſcente, ſeniore, iuniore. Quod de P P. Seruilijs, & Q Q. Catulis Cicero, de Q Q. Fabijs, & duo bus Africanis Liuius, de CC. Curionibus Tranquillus in Caeſare, de duobus Catonibus Plutarchus, ego de duobus Plinijs obſeruaui. Poſt reip. caſum diſtinguendi haec ratio uariata eſt. Nam quum ante tres, aut quattuor fratres uarijs praenominibus, eodem uero omnes cognomine ute rentur, ut Quinctus, Lucius, Marcus, & Caius Caecilij Metelli Q. Macedonici filij, poſt haec appellandi conſuetudo uariata eſt. Nam tres aut quattuor fratres, patris praenomine omnes uti, uarijs uero cognominibus ſeſe diſtingui coeperũt, a uarijs euentibus acceptis, uel ab auorum, ma trum, patruorum nominibus deriuatis. Ac natus quidem maximus patris praenomine, & cogno mine utebatur, ceteri omnes eodem quidem patris praenomine, diuerſis uero cognominibus ornabantur. Exemplum accipi poteſt ab ea gente Flauia, quae rerum potita eſt, nam T. Flauius T. F. Sabinus ex vxore Veſpaſia Polla, duos filios eodem praenomine tulit, maiorem quidem T. Flauium Sabinum, cognomine etiam paterno ornatum, minorem uero T. Flauium Veſpa ſianum, qui poſtea imp. Romanus appellatus eſt. Qui cognomen ſibi a matris Veſpaſiae nomine deriuauit Veſpaſianum. T. Flauius Sabinus Veſpaſiani imp. frater duos filios etiam tulit eadem ratione diſtinctos, ideſt T. Flauium Sabinum, & T. Flauium Clementem. T. quoque Flauius Veſpaſianus duos filios eadem ratione appellauit, maiorem quidem T. Flauium Veſpa ſianum, minorem vero T. Flauium Domitianum cognomen a matre Domitilla acceptum. Idem exemplum in Romanis principibus M. Aurelio Caro patre, & filijs M. Aurelio Carino, & M. Aurelio Numeriano haberi poteſt. Alia poſtremo fuit appellandi, diſtinguendique ratio, antiquae paululum uicinior, ut filij a patre non praenominibus ſolum more ueteri, ſed cognominibus etiam diſtinguerentur. Exemplum huius rei eſt, in L. Septimio Seuero; M. Septimio Baſſia no, & P. Septimio Geta filijs. Haec & ſimilia in antiquis epigrammatibus frequentiſſima ſunt. Praenominum uſus poſt reip. caſum minus frequentari coepit, quod ex Tacito, Quinctiliano, Tranquillo, utriſque Plinijs notiſſimum eſt. Poſt Diocletiani uero tempora omnino eſſe deſijt. Neque enim facile trium horum nominum diſtinctio per ea tempora cognoſci poteſt. Quemad modum autem duobus nominibus, & pluribus cognominibus ueteres ſaepe uſi ſunt, ſic neminem umquam inueni qui duo praenomina eadem appellatione frequentauerit. Atque hactenus de praenominibus

De cognominibus

Frequentata admodum eſt a Romanis haec multiplicandorum nominum ratio, neque enim praenomine, & nomine tantum contenti, cognomen quoque ſibi etiam adiunxerunt, tertium nomen a Plutarcho uocatum, quod in Atticis etiam docet Pauſanias, quum tribus aut etiam plu ribus nominibus eos uſos eſſe tradit. Et Auſonius in ternario numero

Tres equitum turmae, tria nomina nobiliorum.

Tertium enim nomen quod cognomen uocarunt, quum inueniſſent, eidé nomini gentilicio ita adiunxerunt M. Tullius Cicero, C. Iulius Caeſar, & P. Cornelius Scipio Africanus; Cicero enim Caeſar, Scipio, & Africanus cognomina fuerunt. Cur uero duobus nominibus non contenti Romani, tertium etiam & quartum adiunxerint, quod cognomen uocarunt, facile intelli gi poteſt. Sicut enim praenomen inuenerunt, ut a ſe inuicem, qui eſſent eiuſdem familiae, nota aliqua internoſcerentur, ita cognominis etiam uſum excogitarunt, ut qui idem praenomen & nomen habebant, a ſe inuicem diſtingui poſſent. Poſt uero cum cognominum uſus increbuiſſet, eoſdem etiam ſine eiuſmodi cauſſa, & hac re delectatos cognomina ipſa ſibi indidiſſe crediderim. Neceſſitas igitur primum cognomina excogitauit, uſus, cõmoditas, ac delectatio ea poſtea cuſtodiuit, & propagauit. Hac ratione L. Tarquinium Priſcum, & L. Tarquinium Superbum, quum praenomine & nomine conuenirent (inquit Dionyſius) Priſcum illum quod natu maior, hunc Superbum quod contumacior eſſet, poſtea uocitatum. Valuit preterea etiam cognominis uſus ad confuſam ipſarum (ut dixi) gentium multitudinem diſtinguendam, quod exempli cauſſa in

in gentibus Valeria, Fabia, & Cornelia perſpici poteſt, quae cognominum uarietate in multas
familias diuiſae ſunt: cognomina enim Voluſi, Poplicolae, Maximi, Potiti, Faltonis & Meſſalæ
gentem Valeriam in multas familias diſtinguũt, ſic Vibulani, Ambuſti, Maximi, Dorſones, Licini,
Labeones; gentẽ Fabiam; item gentem Corneliam Maluginenſes, Coſſi, Scipiones, Lentuli, Me-
rulae, Cinnae, Sullae, Dolabellae in plures familias diſtribuere. Iterũ quũ Maluginẽſium familia
creuiſſet, quartis nominibus additis, eſt in alias familias propagata, ita ut alij Maluginenſes Coſ
ſi, alij Scipiones, alij Maluginenſes Lentuli. Itemque Scipiones, alij Scipiones Africani, alij Aſia
tici, alij Naſicae dicebantur, & ſic de omnibus familijs, & gentibus dicendum eſt. Hi porro
qui quartum nomen quod ueteres Grammatici agnomen uocant, aliud a cognomine faciunt,
ut Africanus, Macedonicus, & Iſauricus, haud ſatis hanc eorum ſentẽtiam ueterum auctorum
teſtimonijs tueri poſſe exiſtimo. Ego autem contra locupletiſſimorum ſcriptorum teſtimonio
eiuſmodi opininnem refellere poſſum, apud quos accurate animaduerti omnia deinceps cogno
mina dici, quae poſt nomen gentilicium collocãtur. Africanus ipſe apud Valerium libro III. cap.
VII. ita de ſe loquitur: Nam quum Africam (inquit) totam poteſtati ueſtrae. Quirites ſubiece-
rim, nihil denique ex ea quod meum dicerem praeter cognomen retuli. Et Cicero pro Murae-
na. Quam laudem ipſe Africa oppreſſa cognomine ipſo praeſeferebat, eandem hic ſibi ex Aſia
cognomen aſſumpſit. Et in ſomnio Scipionis. Eritque cognomen id per te partum, quod nũc
habes a me hereditarium. Idem Sapientem & Diuitem cognomina uocat, quae tamen quarto lo-
co erant in M. Porcio Catone, & L. Licinio Craſſo. Inquit enim in Catone: Cato quaſi cogno
men habebat in ſenectute Sapientis, & in II. de offic. P. Craſſus tum cognomine Diues tum co-
pijs. & II. ad Atticum; Quanto in odio noſter Magnus, cuius cognomen una cum cognomine
Craſſi Diuitis conſeneſcit? Et libro II. de finibus: T. Manlium refert cum Gallo depugnaſſe,
torquemque & cognomen induiſſe. Quibus cauſſis ego omnia praeter priora duo cognomina
appellaui

Vnde cognomina accepta ſint

Plutarchus in Coriolano, huius quam porpoſui diſputationis initia quodãmodo nobis ape-
rit quunm ait: Cognomina apud Romanos imponi conſueuiſſe, aut ab actione aliqua, aut a for-
ma, aut a uirtute, perinde atque Graeci Sotherem, Callinicum ab actione; Phiſconem, &
Gryppum a forma; Euergetem & Philadelphum a uirtute; Eudaemonem a fortuna dixe-
runt, aut a ſalibus & dicacitate, qua ratione Graeci Antigonum Doſonem, & Ptolomaeum
Lampyronem appellarunt. Romani uero etiã Metellum unum Diadematum, quod frontem ex
ulcere diademate diu obligaſſet, alterum uero Celerem quod celeritatem eius in apparandis fu-
nebribus patri ludis ſunt admirati, uocarunt. Aut a caſu naſcendi ut Proculum, Poſtumum, Vo
piſcum, aut demum etiam a corporis uitijs, ut Silos, Nigros, Ruſos, Caecos, Claudos. Qui-
bus nec caecitas, nec aliud corporis uitium contumeliae fuit, uerum ipſa uitia pro nominibus
proprijs aequiſſimo animo audita ſunt. Haec autem quae a Plutarcho in Coriolano tradita ſunt,
eadem ferme ſunt ab eodem in Mario repetita. Macrobius quoque libro I. alios a uirtute, alios
ab honore, uel iniuria, alios a caſu cognomina ait inueniſſe, Et libro III. aliquot etiam a ſtudio
piſcium cognominatos tradit. Et Plinius libro XVIII cap. III. a ruſticis operibus: libro autem
XI. cap. XXXVII. a uitioſis corporis patribus nonnullos cognomina traxiſſe prodit. Poſtre-
mo Varro a maiore, & minore pecore cognomina indita fuiſſe tradit libro II. de re ruſtica ſic:
Nomina multa habemus ab utroque pecore a maiore, & a minore; minore Porcius, Ouinius,
Caprilius, ſic a maiore Equitius, Aſinius. Eſt autem intelligendum quum dicimus Capram, Tau
rum, Vitulum cognomina adſignificari, quod dicuntur Annij Caprae, Statilij Tauri, Pompo-
nij Vituli, ſic a pecudibus alij multi. Quinctilianus libro I. eadem ferme refert ita: Scrutabitur
praeceptor acer origines nominum, quae ex habitu corporis, ut Ruſos, Longosq; fecerunt. Vbi
erit aliud ſecretius Sili, Burrhi, Galbae, Plauti, Panſae, Scauri, taliaque; & ex cauſa naſcendi,
hinc Agrippa, Opiter, Cordus, & Poſtumus erunt, & iis quae poſt natos euenerunt; Vnde Vo
piſcus. Iam Cottae, Scipiones, Laenates Serrani: ſunt, & ex variis cauſſis gentes quoque & loca,
& alia multa reperias inter nominum cauſſas. Quum igitur res ita ſe habeat, iam quo modo id
in ſingulis factum ſit oſtendam. Quibus in exponẽdis hanc diuiſionem ſequar, ut alia a corpore,
alia ab animo, alia a fortuna cognomina accepta eſſe demõſtrarẽ. Ad corpus pertinent partes cor
poris, ut color, habitus, veſtitus, ſimilitudo alterius, locus, uitia, & cetera eiuſmodi; ad animum
uero uirtutes mores, oratio, artes, ſtudia, res geſtae, & alia multa. Quibus omnibus accurate
grauiterque examinatis, omnis imponendorum cognominum ratio perſpecta erit. Quemad-
modum autem animaduerti omnia nomina gentilicia in ius deſinere, ſic nũc illud ſcitu dignum
eſt, omnes terminationes cognominibus, ſi ita tempus & euentus tulerit, conuenire poſſe prae
ter eam que gentem notat. Itaque quae apud Liuium nomina gentilicia pro cognominibus mẽ-

duſe

doſe legebantur ea ad ſuam integritatem, ex antiquis monumentis redacta ſunt, ut Fabius Licinus; Marcius, & Nautius Rutilus; Quinctius Flamininus; Furuis Pacilus, & alia eiuſmodi; non Licinius, Rutilius, Flaminius, & Pacilius, ut uulgo hactenus legebatur

Cognomina a corpore humano aſſumpta

At primum quidem a corpore humano, ideſt a principe genereis, loco ubi quis natus ſit, aut habitauerit, aut unde commigrauerit, corporis partibus, uel habitu, ſimilitudine alterius, uel fortuna, & ſi quae alia eiuſmodi erunt tracta referam, tot enim ſunt, ut uix comprehendi oratione poſſint: dicam uero praecipua & notiora.

Cognomina a principe generis tracta

Fuſus
Iulus. Virgilius
Lamia. Horatius
Rex. Nummus
Voluſus. Dionyſius, Zoſimus

Cognomina ab ortu

Agrippa. Plinius, &c
Caſca. Varro
Cordus. Quinctilianus
Geminus. Cicero
Poſtumus. Valerius
Priſcus. Dionyſius
Tergeminus. Liuius
Vopiſcus. Valerius, Feſtus

A loco unde quis natus ſit, aut vnde commigrauerit

Amerinus. Cicero
Antias. Plinius
Auentinenſis. Liuius
Auruncus. Faſti
Calatinus. Faſti
Calenus. Faſti
Camerinus. Liuius
Capitolinus. Faſti
Carrinas. Varro
Cerretanus. Faſti
Coelimontanus. Liuius
Eſquilinus. Faſti
Gallus
Laurentinus. Plutarchus
Ligur. Liuius
Liguſtinus. Liuius
Maecenas. Varro
Medullinus. Liuius
Malugiuenſis
Norbanus. Faſti
Quirinalis. Liuius
Regillenſis, alias, Liuius
Regillanus, Tranquillus
Sabinus. Liuius
Saturninus. Liuius
Siculus
Tarpeius; Faſti
Vaticanus, Faſti
Venno, Faſti
Vfenas, Varro
Vulſo. Faſti
Vulſcus. Faſti

A corporis partibus

Capito a capite
Cilo. Cariſius, Feſtus
Tuditanus. Feſtus
Caluus a crinibus
Caluinus
Cincinnatus
Crinitus
Criſpus
Criſpinus
Fronto a fronte
Naſo a naſo
Silus. Feſtus
Simus. Plinius
Silo a ſupercilijs. Varro
Caecus ab oculis
Cocles, Scruius, Plinius
Luſcus
Luſcinus
Occella. Plinius
Paetus. Porphyrio, Acro
Paetinus
Rauilia. Feſtus
Strabo. Plinius
Flaccus ab auribus. Plinius
Labeo a labijs
Chilo. Feſtus, Plinius
Verrucoſſus. Plutarchus
Dentatus á dentibus
Balbus a lingua
Balbinus
Blaeſus
Blaſio
Barbatus a barba
Barbula
Ahenobarbus. Plutarchus
Albus a colore
Albinus
Aquilinus. Feſtus
Eburnus. Feſtus
Flauus
Niger
Nigrinus
Rufus
Rufinus
Rutilus. Feſtus

A reliquis partibus corporis

Mento
Dorſo

Scapula id
Abala
Axilla
Scaeua a manibus
Scaeuula
Laeuinus
Mancinus
Atta a cruribus
Varus. Feſtus
Valgus. Feſtus
Vatia. Feſtus
Silanus
Panſa a pedibus
Pedo
Plancus. Feſtus
Plautus. Feſtus
Scaurus. Feſtus
A corporis habitu
Arnina. Feſtus
Coſſus. Plinius
Curuus
Craſſus
Craſſinus
Galba. Tranquillus
Glabrio. Feſtus
Gracchus. Cariſius
Longus
Longinus
Macer
Mutilus
Magnus
Paullus. Plutarchus
Paullulus
Paullinus
Pulcher
Tubero
Tricoſtus
A ſimilitudine alterius
Menogenes. Valerius
Salutio. Plinius
Serapio. Liuius
Spinther. Valerius
A fortuna
Diues
Fauſtus
Felix
A praenominibus orta
Mamercinus
Caeſoninus &c

Cognomina ab animo tracta

Nunc ea cognomina referam, quae ab animo tracta ſunt, atque ante omnia a ſapientia aut e contra ducta

Cato. Plutarchus
Carus. Varro
Corculum. Feſtus
Sapiens
Sophus
Belua
Bellutus. Feſtus
Beſtia
Brutus. Dionyſius
A uirtute, & moribus
Achilles. Gellius
Aſper. Liuius
Camillus. Feſtus
Caprarius. Cicero
Cicurinus. Varro
Frugi. Cicero
Gurges. Macrobius
Lurco. Feſtus
Marcellus
Marcellinus. Plutarchus
Nepos. Cicero
Nero. Tranquillus
Ouicula. Plutarchus
Superbus
Vir optimus
Ab oratione, & dicto aliquo
Atticus. Nepos
Eutrapelus. Cicero
Figulus. D. Auguſtinus
Lepidus. Plutarchus
Scroffa. Macrobius
Sura. Plutarchus
Ab aliqua arte, & ſtudio aliquo
Bubulcus
Capra. Varro
Cicero
Bulbus
Cornicen. Liuius
Catulus
Cornicinus. Cicero
Fictor. Liuius
Fronditio. Plinius
Fullo. Macrobius
Lactucinus. Plinius
Lentulus
Lanatus
Lupus
Merula. Varro
Metellus. Feſtus
Mus
Muraena. Macrobius
Mugillanus
Noctua
Orata. Varro
Paſſer
Pauo
Pica
Pictor. Plinius
Pilumus
Piſo
Praeconinus. Plinius
Regulus
Suillus

Serranus
Stolo.
Taurus. Varro
Vitulus. Varro
Ab urbe, vel regione devicta
Coriolanus
Fidenas
Priuernas
Meſſalla, &
Meſſallinus
Numantinus
Africanus
Aſiaticus
Macedonicus
Achaicus
Allobrogicus
Callaecus
Balearicus
Dalmaticus
Numidicus
Iſauricus
Creticus
A loco ubi bene, maleue pugnatum eſt
Aeſerninus. Florus
Bithynicus. Feſtus
Caudinus. Liuius
Creticus. Pedianus
Germanicus
Regillenſis. Liuius
Ab aliis euentibus
Ambuſtus. Feſtus
Annalis. Liuius
Aſina. Macrobius
Auguſtus. Dio, & alij
Augur. Cicero
Augurinus. Faſti
Buteo. Plinius
Caeſar. Seruius, Spartianus
Caudex. Seneca
Cenſorinus. Valerius
Coruus. Plinius
Coruinus
Collatinus. Dionyſius
Curio. Cicero
Cunctator. Plutarchus
Curſor. Liuius
Diadematus. Plutarchus
Druſus. Tranquillus
Dolabella
Flamininus
Iuſtus
Imperioſſus. Liuius
Laenas. Cicero
Magnus. Appianus
Maximus. Cicero
Pius. Cicero
Pietas. Dio
Poplicola. Dionys, Liuius
Praetextatus. Macrobius
Sacerdos. Valerius Maximus
Salinator. Liuius
Scipio. Macrobius
Sulla. Macrobius
Torquatus. Liuius. Gellius
Thurinus. Tranquillus
Venox. Liuius, Frontinus
Vilpillo. Plinius
Viſcellinus

Haec autem ſunt cognomina omnia, quorum deriuatio certa ex auctoribus eſt, ab iis omnibus euentibus, quos commemoraui tracta

An cognomina hereditaria, & aeque omnium fuerint

Apud veteres Romanos ex cognominibus quaedam ad poſteros quam longiſſime propagabatur, quaedam ne ad filios quidem perueniebant, quaedam uero medium locum obtinentia, intra tertium aut quartum genus a poſteris mutabantur. Succreſcentibus enim in eadem gente cognominibus, quemadmodum uetuſtiſſimum quodque abolebatur, ita recentia cognomina pleraque retinebantur. Ac primum quidem, qui cognomina patris, auique & maiorum longa ſerie tulerunt, id ipſum feciſſe uidentur, praeſtanti illius qui primus id cognomen inuenit uirtute, & gloria adducti, Ita tamen ut aut mutare, aut relinquere illud cognomen, pro arbitratu potuerint. Cui rei teſtimonio eſſe poſſunt, quae de Cicerone tradit Plutarchus. Qui primus (inquit) Ciceronis cognomẽ tulit, hic maxima laude floruiſſe uidetur, quod id cognomen a poſteris non ſolũ non neglectum ſit, uerũ etiam ſtudioſe retentũ. Et paulo poſt: Quũ autem M. Cicero poſteaquã magiſtratus coepit, crederetur cognomen illud aut uitaturus, aut certe mutaturus, reſpondit operam ſe daturum, ut id eſſet & Scauris, & Catulis illuſtrius. Idem praeterea Cicero, oſtendit cognomina hereditaria fuiſſe, quum loquentem ita cum nepote inducit Africanũ: erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hereditarium. Itaque uidemus ob hãc cauſſam Album, & Albinum in gente Poſtumia, Maximum, & Poplicolam in gente Valeria;

Torquatum in gente Manlia, Maximum in Fabia, & Scaeuulam in Mucia longo tempore cuſtodita. Quod tamen non in omnibus ſeruatum eſſe inde apparere poteſt, quod Felicis, Strabonis, Praetextati, Rulliani, Gurgitis, Verrucoſſi, & Ouiculae cognomina; quae Corneliorum, Pompeiorum, Papiriorum, & Fabiorum fuerunt non niſi ſemel uſurpata ſunt, neque filij ipſorum haec parentum cognomina retinuerunt. Nouis autem aſcitis familiae cognominibus, uetera eſſe oblitterata agnoſci poteſt ex Fabia gente, cuius primum cognomen fuit Vibulanus, poſt Ambuſtus, poſt Maximus; item in gente Manlia cuius uetuſtiſſimũ cognomen fuit Vulſo, poſt Vulſo Capitolinus, tum Vulſone omiſſo, Capitolinus Imperioſſus, poſt Imperioſſus Torquatus, & poſtremo his omnibus antiquatis, tantũ Torquatus retentus eſt. Ex his omnibus quae dixi illud ſatis intelligi poteſt, aeque omnes Romanos ciues uti inuentis cognominibus potuiſſe, neque ipſum cognominis uſum plebi magis interdictum, quam optimatibus fuiſſe. Factum eſt tamẽ ut quoniam reſp. primum in patriciorum poteſtate fuit, ut eorũ etiam ante cognomina celebrata quam plebis ſint, ubi uero plebs ad remp. acceſſit, tum & ad plebeiorũ etiam diſtinguendas familias cognomina audiri, perinde atque imagines ad poſteritatem prodẽdam poni ſunt coeptae. Cognominũ quaedã uni gentiũ uel familiae propria, quaedam multis cõmunia fuerunt. Vni familiae, uel genti propria fuerunt Scipio, Galba, Caeſar, Brutus, & omnia fere uetuſta cognomina. Quae autem pluribus gentibus cõmunicata ſunt, erant Maximus, Capitolinus, Augurinus, Poplicola, & Torquatus, quae omnia Faſtos conſulares percurrenti facile perſpecta & cognita erunt. Porro autem quãquam aliquot nobiles plebeiae gentes fuerint, quae cognominibus carerent, ut Duilii, Mamilii, Albinij, Opeimij, Sicinii, Marii, Hortenſii, Coruncanii, Aquilii, Antonij, Rupilij, & aliae eiuſmodi, id tamen generale non fuit. Nam ut patriciorum ita etiã & plebeiorum cognomina celebrata ſunt. Frequentior omniũ uſus fuit, ut ſinguli ſingula praenomina haberent. Saepe etiã duobus cognominibus utebantur, ut P. Cornelius Rutilus Coſſus, Q. Seruilius Priſcus Fidenas, T. Manlius Imperioſſus Torquatus, & ſimilia. Raro tria uſurpabant, ut P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus, T. Quinctius Pennus Capitolinus Criſpinus: rariſſime uero quattuor, ut Q. Fabius Maximus Verrucoſſus Ouicula Cũctator. Pluribus uſos fuiſſe neminem inueni, ante reip. caſum, nam poſt, ſub imperatoribus nulla certa regula tradi poteſt, quum inepte & pro arbitrio nomina ſumere conſueuerint. Legi enim in uetuſtã quadam inſcriptione aliquando quinque & ſex cognomina ab uno uſurpata fuiſſe, ut Q. Fabio Ciloni Septimino Catinio Aciliano Lepido Fulginiano. Verum de eiuſmodi tractatione poſt reip. tempora loqui (quamquam quin hoc facerem me temperare non potuerim) nihil aliud eſſe exiſtimo, quam rem quae animo ac cogitatione omnino nec dum re complecti poteſt, uelle re ipſa tractare. His igitur relictis reliqua certiora perſequamur

De eorum qui adoptabantur cognominibus, uarijſque eorundem appellandi generibus.

His rebus expoſitis, nõ alienum ab hoc inſtituto erit etiam cognoſcere quemadmodum hi qui adoptabãtur (quod apud Romanos frequentiſſimum fuit) uarijs appellationibus, nouisq; cognominibus augebantur. Mutandi uero nominis in adoptionibus uſitatior ratio fuit, quam Dio libris XL. & XLVI. tradit. Ait enim: Qui adoptarentur ab aliquo hos nomina illorum omnia a quibus adoptarentur ferre conſueuiſſe, ſuum uero gentilicium nomen retinuiſſe illud quidem, ſed aliquo tamen modo commutaſſe: ut qui C. Octauius dicebatur, poſtquam a C. Iulio Caeſare eſt adoptatus C. Iulius Caeſar appellari coeptus eſt. Ita tamen ut gentilicium Octauij nomẽ non deſereret, ſed id quodammodo commutaret, & Octauianum pro Octauio redditum, cognomini Caeſari ſubiungeret ſic: C. Iulius Caeſar Octauianus. Idem in P. Cornelio Scipione Aemiliano, in L. Manlio Acidino Fuluiano, L. Calpurnio Piſone Ceſonino, Mam. Aimilio Lepido Leuiano, Q. Fabio Maximo Seruiliano, & Q. Licinio Craſſo Muciano factum eſt, qui omnes, ab eo a quo adoptati erant nomina aſſumpſerunt, ſua uero gentilicia paululum immutata nouo cognomini ſubiunxerunt. Eodem ſpectans Cicero libro III. epiſtolarũ ad Atticũ dixit: M. Cicero S. D. Q. Caecilio Pomponiano Attico. Eodem etiam referuntur ea quae ab eo ſcripta ſunt libro VII. ep. fam. Dolabellam uideo Liuiae teſtamento cum duobus coheredibus eſſe in triente, ſed iuberi mutari nomen. Vnde Macrobius libro I. Saturnalium ita ait: Cognomina quaedam ſunt ex proprijs tracta nominibus, ut ab Aimilio Aimilianus, a Seruilio Seruilianus. Haec autem erat uſitatior mutandi nominis ratio, ab adoptiuis Romae frequentata. Nam aliquot praeterea erant his qui adoptabantur appellandi genera. Quorum unum erat, ut is qui adoptabatur omnia adoptantis nomina ferret, uerum loco gentilicij ſui nominis in anus mutati, eo relicto, uetus cognomen ſuũ, uel plura ſi ea haberet, nouo adoptantis nomini ſi cognomen non haberet, uel cognomini ſubiungeret, C. enim Aurelius Oreſtes a Cn. Aufidio, item L. Calpurnius

purnius Piſo, a M. Pupio adoptati, nec ille Aurelianus, nec hic Calpurnianus appellati ſunt, ſed ille Cn. Aufidius Oreſtes, hic M. Pupius Piſo nominatus eſt. Eadem etiam ratione nec P. Cornelius Scipio, Dione auctore a Q. Metello Pio, & L. Iunius Brutus a Q. Seruilio Caepione teſte Plutarcho adoptati, aut Cornelianus aut Iunianus, ſed ille Q. Caecilius Metellus Pius Scipio, hic Q. Seruilius Caepio Brutus eſt appellatus, ut teſtimonio ſunt Dio libro XL. Cicero in Philippicis, & nummi argentei in quibus eſt ita: Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. & Q. CAEPIO. BRVTVS. Idem exemplũ eſt in D. Iunio Bruto ab A. Poſtumio Albino adoptato, qui A. Poſtumius Albinus Brutus appellatus eſt, ut ex antiquo nummo argenteo intelligitur. Idem etiam de M. Terentio Varrone Lucullo, & A. Terentio Varrone Muraena dici poteſt, nam quum ambo ex gente Licinia in Terentiam adoptionibus tranſiſſent, ita hac ſecunda appellandi ratione nominati ſunt. Tertia porro mutandi nominis ratio fuit ijs qui adoptabantur. Ea erat, quum adoptatum praenomen tantum & nomen adoptantis uſurpabar, cognomen uero ſuum, & gentilicium nomen in anus mutatum adijciebat, ut T. Pomponius Atticus, a Q. Caecilio auunculo auctore Cornelio Nepote adoptatus, Q. Caecilius Pomponianus Atticus a Cicerone uocatur. Quarta porro in adoptionibus mutandi nominis ratio fuit, quum is qui adoptatus eſſet integrum nomen adoptantis aſſumeret, ſuum uero cognomen uetus aliqua ratione mutatum nouo cognomini adijceret, ut M. Claudius Marcellus a P. Cornelio Lentulo adoptatus, P. Cornelius Lentulus Marcellinus, non Claudianus uocitatus eſt. Vltimus poſtremo in adoptionibus mutandi nominis uſus, poſt Auguſti tantũ tempora Romae frequẽtari coepit. Is erat, ut is qui adoptatus integrũ nomen adoptantis ferret, ſuũ uero uetus gentilicium nomini recens adepto gentilicio, multa ratione uariatum adiungeret, exemplum a C. Plinio peti poteſt. C. enim Caecilius Nouocomenſis ab auũculo C. Plinio Secundo Veronenſe ſcriptore hiſtoriae naturalis adoptatus, C. Plinius Caecilius Secundus uocitatus eſt, ita etiam multi appellari reperiuntur in Faſtis conſularibus, ut Ap. Annius Trebonius Gallus, M. Atilius Metilius Bradua, & M. Nummius Ceionius Albinus. Solebant etiam his temporibus multi qui adoptabantur, non ſolum uetus gentilicium nomen ſed cognomen etiam annectere nouo adoptantis nomini. T. enim Aurelius Antoninus ab Hadriano adoptatus T. Aelius Aurelius Hadrianus Antoninus uocatus eſt. Eiuſmodi autem appellandi rationem ex marmoreis inſcriptionibus obſeruaui, quae non niſi republica exciſa Romae frequentari conſueuit

De alia nominandi ratione

Quum igitur Romani haec omnia haberent quaſi inſtrumenta quaedam nominandi, praenomen, nomen, atque cognomina, non his tamen contenti, alias etiam ad ſingulos accuratius ſignificandos uocabula inuenerunt, ut patris auique, & quandoque proaui praenomen, tribusque nomen etiam adhiberent. Quod quum ex uetuſtis monumentis, tum maxime ex Pediano liquet, qui oratione II. in Verrem ita ait: Moris fuit quum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet ſignificaretur aut a praenomine ſuo, aut a nomine, aut a cognatione, aut a cognomine, aut a tribu in qua cenſeretur, aut a curia, aut a cenſu, ut ſi eſſet ſenator, equesue Romanus. Quod autem a cognatione ſignificatos eſſe ſcribit, a patris aui uel proaui praenomine eum intelligi uoluiſſe exiſtimo. Nam quod a patris praenomine nominandi conſuetudo fuerit, omnes libri, lapides, & nummi pleni ſunt, ut M. Tullius M. F. Cicero, C. Iulius C. F. Caeſar. A patris autem & aui, Capitolinae tabulae ſatis demonſtrant, a proaui uero haec duo uetuſta epigrammata indicant, quorum alterum Romae eſt in hortis Colotianis, alterum Caietae

C. OCTAVIVS. C. F. C. N. C. P. . . .
PATER. AVGVSTI
TR. MIL. BIS. Q. AEDIL. PL. CVM . . .
C. TORANIO. IVDEX. QAESTIONVM
PR. PRO. COS. IMPERATOR. APPELLATVS
EX. PROVINCIA. MACEDONIA

Item

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS
COS. CENS. IMP. ITER. VII. EPVL. TRIVMPH
EX. RHETIS. AEDEM. SATVRNI. FECIT. DE
MANVBIIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA. BENEVENTI
IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT. LVGDVNVM
ET. RAVRICAM

Multos etiam a patris cognomine ſignificatos fuiſſe obſeruaui, ut Q. Fabius Maximi filius, T. Quinctius Capitolini filius, & in adoptius Q. Metellus Naſicae filius, & in vetuſta baſi Romae

P. CORNELIVS . PAVLLI . F . SCIPIO
AEMILIANVS . COS . II . CENSOR
AVGVR . TRIVMPHAVIT . ITER

Et in nummis aliquot A. POSTVMVS. Cos. a tergo ALBINVS. BRVTI. F. Item aliquos nominatos inneni cum patris praenomine & cognomine, ut in tabulis Capitolinis C. LIVIVS. M. AIMILIANI. F. DRVSVS. Quod a tribubus uero Aſconius ait quoſdã nominatos, id tale eſt. Quunm tribus omnes Romae XXXV. numerarentur; ideſt. Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina, Romilia, Cluſtumina, Lemonia, Pupinia, Veientina, Galeria, Pollia, Voltinia, Claudia, Aimilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnienſis, Pomptina, Poblilia, Maecia, Scaptia, Ouſontina, Falerina, Anienſis, Terentina, Velina, Quirina: atque ex his ali quam neceſſe eſſet, cuiuscunque ordinis eſſet ciuis Romanus obtineret, idcirco factum eſt, ut a tribu in qua cenſeretur, ſignificaretur, tribus autem nomen ablatiuo caſu poneretur. Sic enim legimus II. in Verrem. C. Verres Romilia; & alibi L. Claudius Palatina; & in IX. Philippica, Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus; nam Romilia, Palatina, Lemonia tribuum nomina ſunt. Tribus autem ipſa prioribus fere tantum litteris ſignificabatur, quod in antiquis inſcriptionibus manifeſtiſſimum eſt, atque in epiſtolis Coeli ad Ciceronem adbuc retentum eſſe uidemus: boc modo C. Luceius C.F. Pub. Hirrus C. Scribonius C.F. Pob. Curio L. Iulius L.F. Pom. Annalis; ideſt Pupinia, Poblilia, & Pomptina

De ſeruorum, libertorum, & nouorum ciuium nominibus

Quemadmodum quum ſerui ſeruitutem ſeruiebant praenomen domini ferebant, ita ut Cnaeipores Lucipores, Marcipores, Publipores, & Quinctipores; quaſi Cnaei, Luci, Marci, Publij, & Quincti pueri uocabantur, ut a Varrone, Plinio libro XXXIII. cap. I. Quinctiliano lib. primo, & Sex. Pompeio ſcriptum eſt; ſic etiam, & libertate donati, patroni a quo manumiſſi eſſent nomina uſurpare ſolebant. Quam tamen ſeruorum appellandi rationem non niſi antiquos obſeruaſſe eo in loco tradit Plinius. Quinctilianus nero: In ſeruis (inquit) iam intercidit genus illud nominis, quod dicebatur a domino unde Marcipores Publipores. Nam recentioribus temporibus omnes fere ſeruos uaria nomina habuiſſe quum Graeca, tum Latina conſtat, quae ſeruilia etiam dicebantut ut Dauus, Syrus, Geta, Laeneus, Tyro, Laurea, Eutycbides, Lemnus, Megas, & ſimilia iis a nariis euentibus impoſita. Quorũ nõ niſi nno uti ſeruis mos erat. Vnde M. Varro: habent plerique (inquit) libertini a municipio nomina manumiſſi, ut a Fauentia Fauentinus, a Reate Reatinus. Serui igitur manumiſſi dominorum praenomina, & nomina ferebant, ſua uero uetuſta nomina pro cognominibns uſurpabant, cni rei exemplo ſunt M. Tullii Ciceronis liberti duo, quorum alter M. Tullius Tiro, alter M. Tullius Laurea dictus eſt. Andronicus qnoqne poeta, quem a M. Liuo Salinatore cuius filios erudierat mannmiſſum tradit in chronicis Euſebius, M. Liuius Andronicus uocitatus eſt. In uetuſtis etiam epigrammatibus infinita permodum buius rei teſtimonia ſunt, ut C. Iulius Aug. Libertus Fortunatus, Ti. Claudius Aug. L. Felix, T. Flauius Aug. L. Cbreſimus &c. Idem hoc ex verbis Ciceronis ad Atticum, & Artemidori libro I. intelligi facile poteſt. Cicero enim de Eutychide ſeruo Attici manumiſſo ita loquitur. De Eutychide gratum, qui uetere praenomine, nouo nomine T. erit Caecilius, ut ex me, & ex te iunctns Dionyſius M. Pomponius. Artemidorns autem de ſerui cuiuſdam ſomnio ita ait: cognoui quendam, qui quum ſibi uideretur tria pudenda habere ex ſeruitute in libertatem nendicatus, pro uno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo a quo manumiſſus fuerat ſumptis: ideſt nomine & praenomine. Qui autem ciuitatem Romanam de nouo conſequebantur, ſeruorum more praenomina & nomina eorum potiſſimum ferebant, quorum beneficio, uel auxilio ciuitatem adepti eſſent, aut quibus praecipue in impetranda ciuitate uſi eſſent, nomina uero ſua antiqua pro cognominibus uſurpabant. Hoc libro primo de bello Gallico etiã C. Caeſar oſtendit, quum ait: Cõmodiſſimum uiſum eſt, M. Valerium Procillum C. Valerij Caburri filium, cuius pater a C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat mittere. Et Cicero ad Aciliũ ſcribens idem tradit. Cum Demetrio Mega mibi uetuſtum hoſpitium eſt, ei Dolabella rogatu meo ciuitatem impetrauit, qua in re ego interſui, itaque nunc P. Cornelins uocatur. Idem ad eundem Acilium ſcribens ait: C. Anianium Philoxenum Caeſar meo beneficio in Nouocomenſes rettulit, nomen autem Auianij conſequutus eſt, quod homine nullo plus uſus eſt quam Flacco Auianio meo familiariſſimo. Item in Verrem: Q. Lutatius Diodorus beneficio Q. Catuli a Sulla ciuis Romanus factus, eademque ratione de Dione, qui beneficio Q. Metelli ciuis factus Q. Caecilius Dio eſt appellatus. Sub imperatoribus qunm Romana ciuitas integris prouinciis daretur, hi qui ciuitatem Romanam conſequebantur, uel imperatoris praenomen & nomen, uel

eius,aut eorum quorum praecipue ſubſidio ciuitatem impetraſſent, nomina ferebant. Verum quum Antoninus Caracallus imperator conſtitutionem edidiſſet, quae libro primo digeſtorum, ſub titulo de ſtatu hominum refertur, qua omnes eos qui in orbe Romano eſſent, ciues eſſe uoluit, tum pro cuiuſcunque arbitrio oomina ſumpta, aut nobiliſſimarum familiarum, quae iam deſecerant, aut noua excogitatauetere uocãdi conſuetudine, quae ad ea uſque tempora parum certe uiolata perdurauerat, paulatim poſtea labante; quae praecipua cauſſa fuit (quod portento ſimile eſt) ut poſt Caracalli tempora intra pauciſſimos annos trium horum nominum uſus per mille annos conſeruatus omoino diſſipatus ſit, & in ooua uocabula transformatus, nam ulla deinceps nominis,praeno ninis,uel cognominis diſtinctio obſeruata eſt,ſed omnia in foediſſimam barbariem uerſa, antiquitatis cognitionem omni ex parte perdiderunt

De mulierum nominibus

De feminarũ nominibus mihi ſcripturo,illud ante omnia diſputandum eſſe uidetur,an praenominibus antiquae mulieres uſae ſint: nam quidam hoc in dubium reuocant, quidam fuere etiã qui praenominibus feminas omnino caruiſſe exiſtimarent. Multas eorum praenomina frequentaſſe inueni apud Valerium, Varronem, Feſtum,& Plutarchum locupletiſſimos Latinae linguae auctores, item in uetuſtis epigrammatibus. Valerius enim libro X. Antiquarum (inquit) mulierum in frequenti uſu praenomina fuerunt, Rutilla, Caeſella, Rodocilla, Mutrulla, Burra a colore dicta. Item praenomina quae a viris tracta ſunt ut Caia, Lucia, Publia, Mania. Ceterum Caia uſu ſuper omnes celebratum praenomen eſt. Fertur enim Caiam Caeciliam Tarquinij Priſci regis uxorem optimam lanificam fuiſſe, tantaeque probitatis,ut ideo inſtitutum fuerit, ut nouae nuptae ante ianuam mariti interrogatae quae nam uocarentur,Caiam ſe eſſe dicerent. Varro libro II.de lingua Latina: In noſtris nomioibus quum ſumus in Latio & liberi analogia neceſſaria. Itaque ibi apparet analogia,ac dicitur Terentius uir, Terentia femina, Terentium genus. In praenominibus ideo non fit item, quod haec inſtituta ad uſum ſingularia, quibus diſcernerentur nomina gentilicia,ut a numero Secunda,Tertia,Quarta; in viris,ut Quinctus, Sextus, Decimus, ſic ab aliis rebus quum eſſent duo Terentij,aut plures diſcernendi cauſſa, ut aliquid ſingulare haberent notabant ſorſitam ab eo qui mane natus diceretur, ut is Manus eſſet, qui luci Lucius, qui poſt patris mortem Poſtumus, e quibus quaedam item cecidiſſe in feminis proportione appellata declarant oomina antiqua mulierum Mania, Lucia, Poſtuma. Videmus enim Maniam matrem larum dici,Lucaim Volumniam Saliorum carmioibus appellari. Poſtumam a multis poſt patris mortem etiam nunc appellari. Idcirco autem dixit quaedam,nã paulo ante dixerat: Non quia Marcus & Numerius dicitur, idcirco Marcam & Numeriam dici. Et Feſtus praenominibus, inquit, feminas uſas teſtimonio ſunt Caecilia & Tarratia, quae ambae Caiae ſolitae ſunt appellari, pari modo Lucia, & Tita. Plutarchus poſtremo in quaeſtionibus hoc innuens ait: Viros tribus, feminas duobus nominibus fuiſſe contentis; & in Mario Poſſidonium reprehendit, qui quum primum nomen proprium eſſe diceret, nulli tamen mulieri primum nomen eſſe dicebat, ex quo efficiebatur mulieres proprio nomine caruiſſe. Idem in Romulo auctor eſt Romulum ex Herſilia filiam unam ſuſcepiſſe, eamque a naſcendi ordine Primam appellaſſe. Itemque Sullae dictatori filiam ex Valeria eſſe natam, eandemque quia poſt patris obitum nata erat,Poſtumam eſſe uocatam. Ex his igitur tot grauiſſimorum ſcriptorum teſtimonijs feminas praenomina apud Romanos tuliſſe apertiſſimum eſt. Quum uero plurimae immo omnes fere mulieres Romanae,quae a Dionyſio & Liuio in hiſtorijs memorantur,praenomina non uſurpaſſe animaduerterem, aliquando cogitaui in mulierũ praenominibus deſcribendis diſtioctione opus eſſe, aliudque alio tempore obſeruatum fuiſſe. Nam uetuſtiſſimis temporibus mulieres Romanas praenomina frequentaſſe ex tot citatis teſtimoniis clarum eſt.

Verum proceſſu temporis, quum ad recentiora reipub.tempora uentum eſt, minus frequentari coeptum in feminis praenominis uſum crediderim. Quod duabus potiſſimum rationibus mihi perſuaſi. Quarum altera eſt, quod hi quos citaui ueteres auctores, ita de mulierum praenominibus loqui uidentur, ut eiuſmodi conſuetudinem uetuſtam fuiſſe, & quum exoleuiſſet quaſi in controuerſiam uerſam eſſe. Praenominibus (ioquit Feſtus) feminas appellatas teſtimonio ſunt Caecilia & Tarratia quae ambae Caiae ſolitae ſunt appellari: idem facit & Varro de Mania & Lucia Volumnia, ubi ad hoc confirmandum exempla antiquiſſima, ita afferunt, quaſi hoc ſuo tempore controuerſum eſſet. Altera porro ratio eſt, quod raro admodum apud Dionyſium, Liuium, & ceteros ueteres hiſtoricos,mulieres praenominibus ornatas commemorari uidemus, eſt enim Tullia,& Fabia maior & minor apud Liuium, item Claudiae, Hoſtiliae, Ae-

butie

butiae, & aliarum mulierum nomina prodit nunquã hiſce praenominibus affectas,ſed uel maio
ris minoris ubi duae erunt, aut primae,ſecundae,tertiae,quartae,quintae.&c.ubi plures;& recen-
tioribus temporibus apud Ciceronem,& alios Laeliae, Maciae, Caeciliae, I uliae, Tulliae, Te-
rentiae, Liciniae, Aemiliae ſine praenominibus ſemper mentio eſt. Quibus rationibus addu-
ctus facile mihi perſuaſi praenominum uſum in mulieribus paulo antiquiorem fuiſſe, recentio-
ribus uero ſaeculis quamquam non omnino ſublatum, parum tamen frequentari coepiſſe. Atq;
iis temporibus hanc potiſſimum appellandi rationem uſurpaſſe obſeruaui: ut ſi una filia tantũ
eſſet,ea familiae nomine appellaretur,nullo praenomine aut cognomine addito, ut Tullia Cice-
ronis,Iulia Caeſaris filiae. Item Calpurnia Caeſaris,Cornelia Pompeii uxores. Porro autem ſi
duae eſſent, nomen familiae quo vocabantur maioris & minoris cognomine diſtinguebatur.
Hinc uetuſtiſſimis temporibus Tulliae maior, & minor: Fabiae maior & minor apud Liuium;
item apud Tranquillum Octauia maior & minor ſorores Auguſti. Antoniae maior & minor
III.viri filiae. Si tres filiae eſſent alia erat diſtinguendi ratio,ideſt primae,ſecundae,& tertiae,Hu
ius rei exẽplorum pleni ſunt omnes epigrammatum libri ut SALVIA. C. F. PRIMA
PRIMA.VALERIA. Item IVLIA.SECVNDA.& CORNELIA.SECVN-
DA. Item TERTIA.PRISCA. Tertiae quoque Aemiliae Paulli Macedonici filiae Vale
rius meminit. Vnde Paullus apud Ciceronem: o mea Tertia inquit. Tertiam item Iuniam Trã-
quillus in Caeſare, & Macrobius commemorant, quam Cicero Tertullam vocat libro XIII.
epiſt.ad Atticum. De quarta. Liuius lib. XL. Calpurnius Piſo (inquit) necatus a quarta Hoſti-
lia vxore dicebatur. Et in vetuſto epigrammate QVARTA.LIVIA refertur. Quae vero
quincto loco nata eſſet Quincta uocabatur. Vnde in oratione Ciceronis pro M. Coelio, & de
haruſpicum reſponſis: Quinctae Claudiae mentio eſt, matronarum caſtiſſimae. Quam eſſe exi-
ſtimo ex quinque Ap. Caeci filiabus natu minimam,atque ob eam cauſſam Quinctam appella-
tam,de qua Cicero in Catone: Quattuor robuſtos filios,& quinque filias Appius regebat, & ſe-
nex & Caecus. Item in ueteribus inſcriptionibus legitur: QVINTA.NONIA & QVIN-
TA.SEPTIMIA. Hic autem nominandi uſus frequentiſſimus Romae fuit uſque ad Augu
ſti tempora, in quibus alia vocabula quibus inter ſe mulieres deſtinguerentur inuenta ſunt. Quo
rum praecipua erant parentum cognomina, in genus femininum uerſa,ut Caecilia Metella, cu-
ius uetus inſcriptio ſic meminit CAECILIAE. Q.CRETICI. F. METELLAE.CRASSI.
Apud Saluſtium quoque Aurelia Oreſtilla, apud Tranquillum Liuia Druſilla, Iulia Agrippina,
Poppaea Sabina, Valeria Meſſallina, Aemilia Lepida, & pleraeque aliae commemorantur. Fue
runt & aliae quae ſibi cognomina aliunde quam domeſtica inuenerint, ut Clodia Quadrantaria,
Galeria Fundana, Pompeia Plotina,Annia Fauſtina,Iulia Sabina. Aliae fuerunt quae ſibi cogno
mina duplicauerunt, ut apud Tranquillum Furia Medullina Camilla, & in nummis Marcia
Otacilla Seuera. Iiſdem etiam temporibus multas feminas fuiſſe ex lapidibus obſeruaui, quae
marium praenomina uſurpauerint, & quae iam exoleuerant reſtituerint. Legi in in uetuſtis epi
grammatibus L.Peduceam, M.Aciliam M.F. Fauſtinam, & Proculam Iuliam. Proculus enim
Iuliorum praenomen fuit, & T.Flauiam. Fuere & alia mulieres appellandi genera, quae paſ-
ſim in antiquis monumentis obſeruaui,quorum quae attuli omnium praecipua ſunt, & tanquã
fontes ex quibus cetera deriuentur. Illud poſtremo eſt animaduerſione dignum, quemadmo-
dum in uiris praenomina aliquando nominibus gentiliciis poſtponebantur,ut Attius Tullus,At
tius Naeus, Manlius Cnaeus, Octauius Metius, ita etiam in feminis factitatum; legimus enim
Primam Valeriam, & Saluiam primam, & Quartam Hoſtiliam,& Liuiam quartam, & Quinctã
Noniam, & Noniam quinctulam. Caiam praeterea quod cõmune omnibus mulieribus prae-
nomen fuit Ɔ.inuerſa nota exaratum fuiſſe,contraque C.Caium in uiris ſatis eſt ex Probo,aliisq;
ueteribus grammaticis, & inſcriptionibus manifeſtum. Seruas porro & ancillas nomina & ip-
ſas a uariis euentibus indita tuliſſe exiſtimo, ut Phoebe, Myrrha, Atis,& ſimilia. Haec autem
ſunt quae de praenominibus, nominibus, & cognominibus Romanis, eorumque cauſſis, & ra
tione dicenda habui, quae certis veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmare poſſem. Qui-
bus animaduerſis facile diligens antiquitatum ſtudioſus ſi quae a me praeterita erunt inuenire
& cognoſcere poterit. Venetiis ∞ DLVIII. Menſe Auguſto

VETERVM. ROMANORVM. NOMENCLATVRA

Apud antiquos Romanos tria erant nominis latiore ſignificato accepti genera

NOMEN

Praenomen, quod nomini gentilicio praeponitur, vnde etiam dictum praenomen, vt C. M. P. Q. Erant autem praenomina numero finito, quippe XLVI

Ex quibus

Quaedam uſu frequentia, ut haec XVIII

Quaedam ſemel tantum uel raro uſurpata, ut haec XXVIII

Ap.	Appius	Agrippa
A.	Aulus	Ancus
K.	Caeſo	Arruns
C.	Caius	Coſſus
CN.	Gnaeus	Denter
D.	Decimus	Druſus
L.	Lucius	Egerius
Mam.	Mamercus	Fauſtus
M'.	Manius	Hoſtius
M.	Marcus	Iulus
N.	Numerius	Lar
P.	Publius	Mamurius
Q.	Quinctus	Nero
Sex.	Sextus	Numa
Ser.	Seruius	Op. Opiter
Sp.	Spurius	Poſtumus
T.	Titus	Proculus
TI.	Tiberius	Paullus
		Potitus
Haec nunquam nomina gentilicia ſunt praeter Numerius & Statius		Romulus
		Remus
		Serior
		ST. Statius
		Tul. Tullus
		Vibus
		Volero
		Voluſus
		Vopiſcus

Nomen, quod gentis vel familiae erat proprium, ut Iulius, Tullius, Cornelius, ac Fabius. Erant autem nomina numero infinito. Quippe quot gentes tot nomina. Et omnia in IVS deſinentia praeter

Perperna
Norbanus
Peducaeus
Poppaeus

Quae potius cognomina eſſe exiſtimo, ſed eorum neſciri nomina; Ideoque pro nominibus vſurpata, ut de C. Verre aliquando, & de C. Maecenate creditum eſt, quorum tamen ille Cornelius, hic Cilnius fuit

Ratio qua haec tria Romanorum nomina à ſe inuicem internoſci poſſint

Veterum nomina quae a Grammaticis uulgo propria appellantur, uel erũt ex XLVI. praenominibus, uel non. Si ex XLVI, erunt praenomina. Si praenomina non erunt, aut in IVS aut in alias litteras terminabuntur. Si in IVS ea erunt nomina gẽtilicia, praeter quattuor ſupraposita, ſi in alias litteras, erunt cognomina, Pio Caprario, & Triario exceptis

Haec autem non niſi uſque ad Auguſti obitum locum habẽt

Cognomen, quod nomini gẽtilicio ſubiungitur; quae ſiue ſint unum, ſiue plura, omnia cognomina ſunt, ut Caeſar, Cicero, Scipio; Item Maximus Verrucoſſus Ouicula Cunctator, quae omnia unius Q. Fabij cognomina fuerunt. Ea autem ut nomina numero erant infinito, & in IVS nunquam terminabant praeter

Pius &
Caprarius

ambo Metellorum cognomina; & Triarius Valeriorum

Cognominum autem deſinentiae hae ferme erant

Naſica	A
Caeſar	AR
Laenas	AS
Gurges	ES
Pulcher	ER
Cornicen	EN
Caudex	EX
Violens	ENS
Frugi	I
Regillenſis	IS
Felix	IX
Pius	IVS
Cicero	O
Curſor	R
Nepos	OS
Venox	OX
Rufus	VS
Corculum	VM

Haec omnia nomina a varijs euentibus indita ſunt

Accuratior praenominum diuiſio

Praenomina vel erunt

- **Romana**
  - Vſu frequentia ut haec XVIII: Ap, A, K, C, CN, D, L, M, Mam, M', N, P, Q, Sex, Ser, Sp, T, TI
  - Raro vſurpata
    - Quaedam ſemel tantum, ut haec XII
      - Semper praenomina, ut haec V: Egerius, Lar, Mamurius, Romulus, Remus
      - Ex antiquiſſimis cognominibus nouiſſimis Reip. temporibus facta praenomina, ut haec VII: Iulus, Coſſus, Druſus, Nero, Paullus, Potitus, Voluſus
    - Quaedam aliquando ut haec XVI
      - Semper praenomina, ut haec X: Ancus, Arruns, Hoſtius, Numa, Opiter, Sertor, Statius, Vibus, Volero, Vopiſcus
      - Ex antiquiſſimis praenominibus, nouiſſimis Reip. temporibus facta cognomina ut haec VI: Agrippa, Denter, Fauſtus, Proculus, Poſtumus, Tullus
- **Externa** vt Sabinorum Latinorum, Samnitium, Campanorum, & aliarum gentium. haec autem ſunt infinita, in his: Faunus, Picus, Latinus, Turnus, Auentinus, Amulius, Numitor, Fauſtulus, Metius, Pompo, Ouius, Octauius, Herennius, Attius, Tutor, Septimius, Allius, Lucumo, Petro, Talus

F I N I S


VIN
CENT